



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Contemplatio XIV. De Auctore Mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

pe habent species contrarias potentiùs ad virtutem allicientes, per quas etiam clarè vident, quàm vanæ, instabiles, caducæ, indecentes, & amore suo prorsus indignæ sint voluptates illæ, quas cæci mortales tam avidè prosequuntur.

Convenirent cum iis Recentiores, nisi discreparent in explicatione specierum, quibus substituunt affectiones organorum, & cognitiones animæ primas, & reflexas: organis enim per frequentes impressiones circa aliquod objectum dispositis, facilior redditur ac vivacior objecti perceptio & cognitio, sique illud appareat bonum ac jucundum, consequitur in sensibilibus appetentia sensitiva, & si huic sæpiùs indulgeatur, sensus quoque internus ad ejusmodi actus disponitur; quo fit, ut voluntas postea resistat difficiliùs; inde facilè generantur pravi habitus, quibus voluntas magis ac magis ad malum inclinatur. Quòd si proposita per cognitionem objecti turpitudine, & actus oppositi honestate, anima sensus refrenet, seseque objecti nobilioris contemplationi impendat, illudque velut potentiæ rationali convenientiùs complectatur, ac per repetitos actus spiritualem illius suavitatem degustet, generabitur habitus virtutis, quo voluntas inclinabitur ad bonum, & sensus quoque sibi magis obediens habebit, atque ad convenientem usum dispositos.

Sed in hac materia non sistendum est intra terminos merè naturales: uti enim natura humana non ex se sola, prout fuit à Deo procreata, sentit illam legem in membris repugnantem legi mentis, atque ad malum adeò proclivis est, sed quia per peccatum originale vitiata est: ita etiam in ordine ad bonum non spectari debet secundum solas vires naturales, sed ut per Gratiam Jesu Christi restaurata; his enim Gratia auxiliis roborata, si cum iis operari velit, altius eniti potest, & magnos in virtutibus progressus facere: ea enim est Dei Bonitas in nos miseros, ut post actum unius insignis victoriæ, nonnunquam speciem infundat adeò vivam, claram & fortem, directam & rememorativam de suavitate, utilitate & pulchritudine virtutis, deque molestia, damnis, & foeditate vitii oppositi, ut prævaleat habitui inveterato ejusdem vitii; præsertim si accedant auxilia actualia intellectum illuminantia, & voluntatem ad virtutem incitantia.

CONTEMPLATIO XIV.

De Auctore Mundi.

MUndum secundum omnes partes ac rationem omnem hætenus contemplati sumus: jam ordo & ratio postulat, ut ejusdem Auctorem per Theologiam quasi naturalem contemplemur. Igitur Entis primi, seu Dei nomine intelligimus Ens à se, reliquorum omnium principium & finem, Ens perfectissimum, & perfectionum omnium cumulum. Hoc enim ipso, quòd fit à se, & reliquorum omnium principium, continere debet, vel formaliter vel eminenter, reliquorum entium perfectiones, quas illis aut communicavit, aut communicare potest: sique præterea alia sit perfectio possibilis, non potest competere nisi Enti à se: ergo Ens à se hoc ipso continet omnem perfectionem possibilem, omnem scilicet entis ab alio, & omnem entis à se. Quare hæc est veluti prima Dei characteristica, quòd fit Ens à se, ex qua veluti ab essen-

essentia S. Thomas, & alii reliquas Dei perfectiones & attributa veluti proprietates colligunt & deducunt. Imprimis ergo nobis agendum est de hujus Entis existentia, deinde de eius operationibus.

CAPUT I.

De Deo ut existente.

S. I.

An Dei existentia demonstrari possit?

Dicendum: Existentia Dei potest demonstrari. Ita Doctores unanimiter. Et non obscure colligitur ex S. Script. nam Sap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, à magnitudine enim speciei & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Et in epist. S. Pauli ad Rom. *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, ita ut sint inexcusabiles &c.* Atqui intelligibiliter conspici, & cognoscibiliter videri denotat evidentiam, tum etiam esse vanos & inexcusabiles: ergo. Nec deest ratio, nam hæc demonstrativa cognitio erat necessaria ad conservationem reipublicæ naturalis; cum sit fundamentum omnis honestatis: ergo dari debuit.

Demonstratur igitur 1. argumento morali. Illa veritas est moraliter evidens, cui genus hominum universum communi quodam & naturali consensu adhærescit; talis est veritas de Dei existentia: ergo. Maj. inde patet, quia *Verum est, quod omnibus videtur, ut ait Aristoteles, aliàs licebit dubitare de existentia urbis Constantinopolitanæ, de Alexandro M. de omnibus, contra judicium universale oppositum.* Ratio autem à priori, quod talis consensus non fallat, est, quia cum sit universalis, fundatur vel in ratione evidente, vel in instinctu naturæ, quo inclinamur ad verum, sicut ad bonum. Minor. prob. Gentium omnium testimonio. Instar omnium sit inter Scriptores Sacros Chrysostomus in illum locum: dixit insipiens in corde suo, non est Deus. *Non est Deus, inquit, & quomodo omnis lingua illum nominat? falluntur ergo omnes hominum myriades, quæ Deum esse dicunt, & solus insipiens reputatur verum dicere, qui solus ita mentitur? publicam mundi linguam solus insipiens vult invertere? ita os aureum.* Inter Profanos sit Oratorum Princeps Tullius, qui lib. de Legibus ait: *Nulla unquam gens, neque tam immanis, neque tam fera existit, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere debeat, tamen habendum sciat.* Et lib. 1. de Nat. Deorum ostendit, intelligi posse dari Deum, quia innatas de Eo cognitiones habemus: Nam, uti ait, *De quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est.*

Conf. 1. Quia innatus est cuique mortalium timor supremi Legislatoris Domini, tanquam summi judicis, & scelerum vindicis acerrimi; nam ubique gentium, apud ipsos etiam barbaros, patratores sceleris, etiam sine teste, horror quidam insequitur, atque exulcerans conscientia: quem autem timet scelestus? Non homines, quos crimen latet: non ipsum scelus, cujus voluptate potius allicitur: ergo supremum legislatorem Dominum. Hinc Tertull. in apol. contra Gentes c. 17. *Hæc est summa delicti, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* Et recte; nam Psalmista jam prius dixerat: *Signatum est super*

per.

per nos lumen vultus tui Domine. Conf. 2. Ex fine creaturæ rationalis, quæ fertur in bonum, quod satiare possit, & sit possibile; ostendemus autem Contempl. seq. nullum bonum creatum esse tale: ergo dari debet aliud increatum, quod creaturam rationalem plenè satiare possit.

Demonstratur 2. argumento morali-physico, quod petitur ex admirabili totius mundi fabrica, dispositione & ordine. Recolantur enim, quæ hæcenus dicta sunt de Mundo in genere, de Cælis, de elementis, de mixtis inanimatis, de plantis, brutis, & ipso homine: nullus certè rationis compos non agnoscat Artificem sapientissimum, & Gubernatorem potentissimum, ita ut meritò vani & inexcusabiles dicantur illi, qui à creatura mundi Deum non cognoverunt; quis enim sibi in animum inducat, opus hoc sapientissimum casu factum esse sine principio intelligente? utri enim denuo ait Tullius loco cit. Si mundum efficere potest concursus atomorum fortuitus, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt minùs operosa, & multò quidem faciliora. Pulchrè Chrysostomus: Non est fundamentum; & quomodo stat ædificium? non est ædificator; & quomodo domus facta est? non est Architectus; & quis urbem condidit? non est musicus; & quomodo in mundi lyra apparet concentus? non est auriga; & quomodo quatuor elementorum curvus agitur? Hinc creaturæ apud S. Aug. lib. 1. Conf. c. 6. de Deo suo exclamârunt omnes: Ipse fecit nos. Sed erit fortasse aliquis, qui non quidem casum, sed supremam inducet intelligentiam hujus mundi gubernatricem. At verò hæc intelligentia, estne à se, an ab alia? si à se, tunc Deus est: si ab alia, hæc priori par erit, & de hac redibit sermo, atque ita tales intelligentiæ introducentur infinitæ. Quomodo ergo tantâ concordia gubernabitur Mundus? Cedro digna sunt Aristotelis verba 12. Metaph. *Entia nolunt malè gubernari; multitudo principatuum non est bonum: unus ergo Princeps.* Sed ut imprudentissimis hujusmodi responsis præcidatur filum

Demonst. 3. argumento partim physico partim Metaphysico. Quilibet nostrum certus est metaphysicè de sua existentia, cum certus sit de sua operatione. Certus item est, se non esse à se, & necessariò, aliàs fuisset semper. Certus etiam est, quod seipsum non produxerit, cum nulla res possit seipsam primò producere; ut ostendimus in materia de causis; sic enim operaretur antequam esset: ergo quilibet nostrum est ab alio; ergo datur Deus; quod uno vel altero syllogismo sic ostendo: tota productorum series est ab alio non inclusò in tali serie; sed hoc est planè ens improductum: ergo. mi. patet, prob. maj. tota series productorum est aliquid productum; sed quidquid est productum, est productum ab alio adæquatè distincto, cum nequeat aliquid primò producere seipsum: ergo tota productorum series est ab aliquo adæquatè distincto, ac proinde ab alio non inclusò in tali serie.

Conf. Quilibet è nobis est insufficiens sibi ad existendum, aliàs semper essemus, utpote sufficientiam à nostro esse indistinctam habentes: ergo ad habendum esse indigemus alio, quod sibi & nobis sufficiens sit; nam quantumvis augeatur multitudo entium, si tamen omnia sint insufficientia, nunquam habebitur ratio existendi: prædicatum enim, quod totaliter excluditur à singulis, non potest reperiri in tota collectione, quantumvis augeatur. Sic si nullus annulus in catena possit vi sua sursum hære, quantumvis multiplicentur, ut unus alterum sustineat, nunquam tamen sursum hærebit catena. Si nulla lampas ignem habeat à se, nunquam ostendi poterit, qua ratione omnes accensæ fuerint, & unde ignis in tali serie quantumvis magna oriatur. Sic nec infiniti omnino pauperes vel unicum divitem efficient, sicut nec infiniti cæci

unum videntem. Ex quibus evidenter ostenditur, quòd, si detur ens productum, uti dari manifestum est, debeat dari Ens improductum, consequenter æternum, necessarium &c. qui Deus est. Et hanc veritatem jam agnoscebant Philosophi Gentiles: Sic Plato Deum agnovit per ideam summi Artificis, qui mundum condidit; Aristoteles verò per necessitatem primi Motoris, ad quem reducuntur motus reliqui, veluti ad causam primam.

§. II.

Enervantur Adversantium Responsa.

Respondent 1. Processus in infinitum non evidenter implicat: hoc posito non potest demonstrari Deus: ergo. Maj. patet, quia sunt Auctores etiam Catholici, qui asserunt mundum potuisse esse ab æterno; hoc autem posito in generationibus humanis daretur processus in infinitum. Prob. mi. In processu in infinitum nunquam est devenire ad finem & totum: ergo non potest dici, quòd partes omnes sint insufficientes ad existendum, consequenter nec ostenditur necessitas entis à se, seu Dei. Resp. om. maj. ne. mi. argumentum enim nostrum præscindit à possibilitate vel impossibilitate infiniti, neque judicarem illud efficax contra Atheum, si niteretur supposito, quòd ipsi Divini Numinis assertores in dubium vocant. Ad prob. dist. ant. nunquam est devenire ad finem & totum eundo distributivè per singula, con. nunquam est devenire ad totum sumendo collectionem per modum unius, nego ant. & conf.

Dices 1. Collectio infinita non habet finem: ergo non potest sumi per modum unius. Resp. con. ant. ne. conf. Quidquid enim est possibile, illud est ens; talis collectio esset possibilis, cum à parte rei jam esset actu posita: ab existentia autem ad possibilitatem valet argumentatio: ergo talis collectio esset ens, si non existens simul totum, existens saltem successivè, ut dies, annus. Atqui omne ens possibile & existens necessariò habet proprietates entis metaphysicas, inter quas est unitas, quam cum talis collectio non habeat identicam partium, necesse est, ut sit una unitate per aggregationem: ergo talis collectio est una, & de hac verum est dicere, quòd existerit tota. Implicat autem, ut in tali collectione reperiatur sufficientia ad existendum, si prædicatum hoc nusquam in tota collectione reperiatur; quamvis enim eundo distributivè non possint singula enumerari; est tamen necessarium metaphysicè, ut prædicatum hoc esse producti & insufficientis reperiatur in omnibus: sicut juxta Atheum, quamvis omnium hominum divisim enumeratio fieri non possit, est tamen necessarium Metaphysicè, ut omnes sint animal rationale.

Dices 2. Esto singula divisim sumpta producta sint, & insufficientia ad existendum, non tamen sequitur, quòd tota collectio producta sit & insufficientis ad existendum: ergo. prob. ant. Argumentatio à sensu distributivo ad collectivum non valet: sic non valet, possum ferre omnes hos lapides distributivè: ergo collectivè. Singuli homines duos tantum habent oculos: ergo tantum duos oculos habet collectio; atqui nostra argumentatio est à sensu distributivo ad collectivum, sic enim argumentamur: singula producta sunt insufficientia ad existendum, ergo tota productorum collectio est insufficientis. Resp. ne. ant. ad prob.

prob. dist. maj. non valet semper, con. valet nunquam, nego. Utrique enim Atheus non negabit universim hunc argumentandi modum; sic enim argumentor ad hominem: per te de quolibet ente existente est negabile, quod sit ens improductum: quæro an & hæc sit vera: de tota collectione entium existentium est negabile, quod sit ens improductum? si affirmas, ergo valet à sensu distributivo ad collectivum. Si negas: ergo vera erit ejus contradictoria, per quam tamen non tantum aperte mentiris, sed etiam te ipsum jugulas, cum juxta te ens improductum sit chimericum.

Quando porro valeat argumentatio à sensu distributivo ad collectivum, docetur in Logica, ubi de suppositionum regulis: si enim in distributione particula & idem significet ac *vel*, tunc non valet: si idem significet ac *insuper*, tunc valet. Sic dum dicis, possum ferre hunc lapidem, & istum, & illum, locò particulae &, non potes ponere *insuper*, sed tantum *vel*: ergo non potes dicere, possum omnes ferre collectivè. Econtra in hac, singuli cæci carent visu, potes dicere, iste cæcus caret visu, *insuper* iste, *insuper* ille: ergo omnes.

A priori duplex datur aliud fundamentum. 1. Quoties prædicatum non convenit singulis, quatenus sunt exclusiva collectionis; siue quoties prædicatum, quod tribuitur singulis, nec tollitur, nec minuitur etiam secundum obliquum per conjunctionem cum altero, tale prædicatum etiam convenit toti; quia tunc idem, invariaturque prædicatum perfecte præscindit, nec potius petit dici de singulis, quam de toto. 2. Valet in prædicatis perfecte negativis, quotiescunque forma denominans est pura negatio; tunc enim si tale prædicatum verè affirmetur aut negetur de singulis, rectè etiam affirmatur; aut negatur de toto; quod enim nec adæquatè nec inadæquatè reperitur in singulis, seu in ulla parte, illud nec adæquatè, nec inadæquatè reperitur in collectione seu toto. Ratio est, quia nihilum additum nihilo non facit aliquid positivum. Jam prædicatum producti non convenit singulis, quatenus sunt exclusiva collectionis, nec tollitur, aut minuitur per eorum conjunctionem; neque enim minus productus est Petrus, si cum aliis statuatur, quam si seorsim spectetur: ergo si prædicatum hoc conveniat singulis partibus, conveniet etiam tali. Rursus prædicatum insufficientiæ est perfecte negativum, uti prædicatum cæcitatæ, paupertatis: ergo si conveniat singulis, convenit omnibus, tantum enim abest, ut hujusmodi insufficientia vel paupertas per conjunctionem sufficientiæ minuatur, ut potius augeatur.

Dices 3. Si liceat nobis argumentari à sensu distributivo ad collectivum; etiam licebit Atheo, qui sic argumentatur: si nulla creatura esset immediate producta ab Ente à se, tunc neque tota collectio esset producta ab Ente à se; sed permissio processu in infinitum nulla creatura esset immediate producta ab Ente à se: ergo. prob. mi. in processu in infinitum cuilibet creaturæ potest assignari alia causa creata: ergo nulla necessario est producta ab Ente à se. Resp. ne. mi. ad prob. dist. ant. assignari potest causa creata inadæquata & insufficientis, transeat; sufficiens & adæquata; ne. ant. & cons. Hoc ipso, quod nulla creatura sit ex se sufficiens ad existendum, etiam non potest esse ratio sufficiens existendi alterius; unde potius retorqueo argumentum: nulli creaturæ potest in tota collectione assignari ratio sufficiens existendi: ergo nec tota collectio illam habet; cujuslibet enim rei debet dari causa adæquatè sufficiens: hanc nunquam assignabunt Athei, quamvis transferant quæstionem ab uno in aliud; & metaphysicè repugnat, ut in collectione productorum reperiatur, ut superius ostendimus: ergo necessario dari debet Ens improductum.

Dices 4. In collectione infinita singuli homines sunt totaliter geniti ab alio homine: ergo quilibet habet causam sufficientem & adequatam. Resp. ne. vel dist. ant. sunt geniti simul & non geniti om. vel con. sunt geniti tantum ne. ant. & conf. Etsi Atheo permittatur processus in infinitum, non tamen permittitur processus chimæricus, sic enim ex impossibili rectè inferret impossibile: quamvis autem darentur homines infiniti; non tamen per hoc conceditur, quod omnes & singuli sint à se invicem geniti; id enim fieri non potest sine actione reflexa sui ad se, aut sine prioritate mutua, quod utrumque repugnat: ergo nunquam concedendum est Atheo, quod in hoc processu omnes & singuli sint à se invicem geniti; aut ex hoc ipso statim ei ostendendum est, simul non esse genitos, & exinde chimæram sequi, proinde chimæricam esse ejus suppositionem, cum impossibile non nisi ex impossibili sequatur.

Dices 5. Si detur successio infinita hominum, necessarium est, ut singuli totaliter producantur ab alio in hac collectione contento; non enim datur aliquid prius collectione æterna: ergo non potest dari causa extra successionem infinitam. Conf. à pari: si daretur æternitas à parte ante, quæ constaret infinita successione distinctorum instantium, tunc singula instantia præsupponerent aliud instans ante se, & tamen tota collectio omnium instantium, seu tota æternitas evidenter non præsupponeret aliud instans ante se: ergo infinita collectio entium productorum etiam non præsupponeret aliud ens, licet singula producta aliud præsupponant. Resp. ne. ant. prob. dist. non datur collectione æterna aliquid prius, prioritate temporis, con. prioritate naturæ, ne. ant. & conf. Idem dico ad Conf. hæc enim instantia, quia omnia sunt producta, præsupponerent pro priori naturæ aliud ens, à quo suam haberent sufficientiam. Hinc quamvis multi admittant, mundum potuisse esse ab æterno, nullis tamen admittit, quod potuerit esse ab æterno, quin dependeat ab Ente à se.

Dices 6. Non evidenter repugnat mutua duorum causalitas; hanc enim ut probabilem defendunt aliqui: ergo non datur necessitas deveniendi ad Ens improductum. Conf. singuli homines sunt producibiles ab alio homine: ergo dici potest, quod ita producti sint. Resp. dist. ant. non repugnat evidenter mutua duorum causalitas stante simul tertio principio illorum productivo, transeat, hoc non stante, ne. ant. & conf. quod enim duo independentè à tertio sustentante se possint mutuo primò producere, evidenter implicat, ut satis ostendimus in materia de Causis; si enim res nequit producere seipsam, quomodo valebit producere causam, sine qua non sufficienter intelligitur existere ipsa? Ad Conf. dist. ant. sunt producibiles ab alio homine, in sensu diviso transeat, in sensu composito, ne. ant. & conf. Recolantur, quæ de mutua prioritate alibi diximus.

Dices 7. Esto detur ens improductum, non tamen illico est Deus: posset enim dici cum Democrito & Epicuro, mundum esse factum ex atomis improductis, fortuito concursu invicem cœuntibus. Resp. hoc esse delirium; eo enim ipso, quod ostendatur necessitas Entis improducti, reliquorum omnium principii, debet hoc pollere intellectu, sapientia, potentia &c. & continere perfectiones reliquorum, tum creaturarum rationalium, tum universi totius, & tunc demonstratio 2. totum habet suum vigorem: sique præterea sit alia perfectio possibilis, hæc competit Enti à se, ut diximus: ergo habet omnem perfectionem possibilem: ergo Deus est; repugnat enim essentialiter, ut per casum fiat operatio constanter ordinatissima. Idcirco Anaxagoras comparatus cum iis Philosophis, qui hanc rerum molem & gubernationem casui

com-

committebant, recte dicitur ab Arist. 1. Metaph. 4. fuisse velut sobrius inter ebrios, cum universi causam docuerit esse intellectum.

Respondent 2. Causa increata & Divina nullam habet proportionem cum effectu quocunque creato: ergo illius existentia per effectus creatos demonstrari non potest. Conf. Ex contingenti male inferitur necessarium: sed existentia creaturarum est contingens, & existentia Dei necessaria: ergo. Resp. dist. ant. non habet proportionem attenda ratione entitatis, seu perfectionis entitativa, con. attenda ratione, quâ effectus dependet à causa, ne. ant. & conf. Per hanc enim manuducimur ad inferendam evidenter Dei existentiam, cum essentialiter creatura pendeat à Deo, nec possit produci, & existere, Deo non existente. Est igitur proportio Entis productivi, & producibilis, perfectivi & perfectibilis, licet non sit proportio entitatis, cum Deus sit illimitatus, creatura limitata. Ad Conf. ne. absolute, vel dist. maj. si contingens non habet necessariam connexionem cum necessario, con. si habeat, nego. Quin imò antecedens nostrum, ex quò, vel medius terminus, per quem inferimus Dei existentiam, est causa necessaria, & ultima sufficientia adequata entis ad existendum: unde totum ratiocinium nostrum reduci potest ad syllogismum categoricum omni ex parte bonum, nempe: Causa necessario existens ad plenè & ultimò solvendam quæstionem, unde ultimò sit adequata collectio omnium productorum, evidenter datur; sed causa ultimò requisita ad solvendam plenè hanc quæstionem est unus & solus Deus, quia quamdiu non assignabis Ens improducibile, nunquam satisfacies curiositati interrogantis: ergo datur Deus.

Respondent 3. Quod demonstratur, à nemine negatur; Deum existere negatur ab Atheis: ergo non demonstratur. Conf. circa Divinum esse plurimarum Gentium erravit iudicium; alii enim Solem, alii Jovem &c. dixerunt Deum: ergo ex universali Gentium consensu nihil concluditur circa existentiam Dei. Resp. ne. vel dist. maj. à nemine negatur, qui rationes percipit, quem malitia ab iis examinandis non retrahit, qui sincere loquitur, prout sentit, con. secus ne. maj. Atheus hoc negat, vel quia ipsum excæcavit malitia, vel quia non loquitur, uti sentit: cupit ille, ut possit cupiditatibus suis velificari, Deum non esse, quem tamen ut ait Tertull. ignorare non potest. Hinc est, quod Scripti dicat, insipientem negasse Deum; & Psalmista: noluit intelligere, ut bene ageret. Imò rationes, quibus ad Deum assurgimus, sunt ita obviæ & efficaces, ut communis sit Doctorum opinio; neminem posse Deum diu ignorare, si compos sit rationis. Ad Conf. dist. ant. erravit circa id, in quo conveniebat, nempe circa Divini Numinis existentiam, ne. circa id, in quo diserepabant, & non universaliter, sed particulariter quilibet sentiebat, nempe circa ejusdem essentiam, con. ant. & ne. conf.

Respondent 4. Si Deus esset, nihil mali fieret in mundo; multa sunt mala: ergo Deus non est. prob. maj. Infinitus calor excludit essentialiter omne frigus: ergo infinitum bonum, uti est Deus, excludit essentialiter omne malum. Conf. 1. non datur providentia in mundo: ergo nec Deus. Prob. ant. si daretur providentia, malis male, & bonis bene esset; consequens est contra experientiam: ergo. Conf. 2. Ab effectu jam producto non licet arguere ad causam actu existentem: ergo. Ad hoc argumentum, quod Arnobius putat insolubile, Trismegistus verò indignum responso; respondet Scotus in 1. dist. 2. q. 2. negando maj. ad prob. distinguit ant. unum contrarium infinite intensum excludit alterum contrarium ex eodem subiecto, con. simpliciter, negat. Contraria vint

contrariam exercent duntaxat circa unum & idem subiectum: hinc quia Deus est infinitè bonus, excludit à se omne malum. Si urgeas & contendas, contrarium infinitè intensum & extensum excludere alterum ex omni subiecto, P. Maurus distinguit, si sit agens necessarium, con. si liberum, negat. *Mirabile* scilicet, ut loquitur S. Aug. *Ex malis bona facere, quam mala esse non permittere.* Ad Conf. 1. ne. ant. ad prob. dist. maj. malis malè, & bonis bene esset, si daretur providentia purè humana, & spectans bonum merè temporale, con. si daretur providentia Dei spectans felicitatem æternam, & per arduum virtutis exercitium hominem præparans & perducens ad regnum Dei, nego. Ad 2. dico, id quidem verum esse de causa producta, & secunda; non autem de Prima, necessaria, improducta.

§. III.

*Utrum Dei existentia demonstretur
quasi à priori?*

Quæstio hæc non tantum in Peripatericorum Scholis agitur, sed inter Cartesianos passim etiam proponitur, & habetur quodammodo veluti præcipua. Imprimis, Deum demonstrari non posse à priori prioritate reali, palam est, quia Deus, qua ratione Deus est, omnem essentialiter excludit realem causam, realiterque priorem Ipso. An verò demonstrari possit quasi à priori ex suo conceptu per prædicatum aliquod convertibile, independentem tamen à creaturis, merito dubitatur: Negant aliqui, affirmant alii cum Cartesio in suis medit. & P. Antonio Perez, qui ingenii sui vim hac in parte plurimum ostenderunt.

Igitur demonstratio Dei Cartesiana, quam postea impugnata à D. Brillon Doctore Sorbonensi, multis propugnavit P. Lamy Benedictinus Congreg. S. Mauri, sic proponi potest. Id quod concipitur perspicue comprehendere in idea clara, distincta, simplice, naturali, necessaria, & immutabili, quam habemus de aliqua re, illud potest cum veritate & certitudine eidem rei attribui, atqui perspicue concipitur, existentiam necessariam & æternam comprehendere in idea Dei, & hæc idea clara est, distincta, simplex, naturalis, necessaria & immutabilis: ergo cum veritate & certitudine Deo attribui potest existentia necessaria & æterna.

Major propositio videtur clara, imò primum scientiarum principium: per quid enim de rerum natura judicamus, ipsisque primis principiis firmiter adheremus, nisi per ideas naturales & necessarias, quæ rem nobis clarissime exhibent, atque ita proponunt, ut iudicium vel invitis extorqueant? Unde enim imperturbatè asserimus, circulum quemlibet punctum habere medium, & radios æquales, omne crimen esse poenæ dignum, non dari montem sine valle, quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se: nisi quatenus talia nobis clarissime proponuntur per ideas naturales & necessarias, de quibus, si fas est dubitare, de omnibus dubitemus, necesse est.

Nec minus clara videtur prop. minor: quotquot enim de Deo cogitant, illi non ex compacto, sed naturaliter in eo conveniunt omnes, quod Deum concipiant sub idea Entis perfectissimi, consequenter necessario existentis, cum

exi-

existentia in perfectione includatur necessario. Qua de re S. Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. ait: *Hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt.* Item: *Omnes latina lingua scios, cum aures eorum sonus iste, Deus, retigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quandam, immortalémque naturam.* Et hæc idea simplex est, naturalis & immutabilis, quales non sunt ideæ, quæ opponuntur à pari, uti ista: Equus volans existit; quæ est commentitia & ad libitum composita, ex equo, & alis, & existentia, neutiquam inter se necessario connexis, adeoque non est universalis & ingenita: nec immutabilis aut necessaria, qualis est idea Entis perfectissimi, dum Deum concipimus.

Possumus ergo concludere, non hypotheticè tantum, uti volunt aliqui, quòd si detur Ens perfectissimum, illud existat, (id enim patet ex terminis, in rebus etiam aliis) sed etiam absolutè, quòd existat ens perfectissimum; non quasi rerum essentia aut existentia à nostris dependeret ideis; sed quia ideæ nostræ naturales & ingenitæ determinantur à rerum essentiis, quas supponunt & detegunt. Sicut ergo, quia circulus qualiscunque, sive possibilis sive existens, talis est ex sua essentia, ut punctum habeat intra peripheriam medium, istudque mihi repræsentatur per ideam claram & naturalem; ego imperturbatè possum affirmare essentialem hanc in circulo prædicatorum connexionem: ita etiam, quia Ens perfectissimum, seu Deus, essentialiter est existens; istudque mihi repræsentatur per ideam claram, ingenitam, immutabilem ac necessariam, imperturbatè possum affirmare essentialem hanc in Deo prædicatorum connexionem: hac solum differentia, quòd in rebus aliis essentialis hæc prædicatorum connexio affirmetur præscindendo ab eorum existentia; in Ente autem primo & perfectissimo existentia non possit non absolutè affirmari, cum ipsissima existentia sit prædicatum essentialiter, connexum essentialiter.

Confirmatur hoc argumentum: Ens adæquatè perfectum evidenter est possibile; impossibile foret, nisi actu existeret: ergo actu existit. Major iterum clara videtur: etenim non aliter de rerum possibilitate vel impossibilitate iudicamus, quam per ideas claras, quæ nobis prædicatorum convenientiam aut repugnantiam in rebus exhibent: sic dicimus trigonum rotundum esse impossibile; si enim trigonum, quomodo rotundum? si rotundum, quomodo trigonum? At corpus rotundum asserimus possibile, quia nihil est in conceptu corporis, quòd rotunditatem excludat; neque aliquid est in idea rotunditatis, quòd excludat corpus, sed potius bellè conveniunt duo hæc prædicata; quare corpus rotundum dicimus possibile. Jam in casu nostro, Ens & perfectio minime repugnant, imò bellissime conveniunt; nam perfectio supponit ens, cum sine ente perfectio subsistere non possit: & ens perfectionem includit, cum perfectio aliud non sit, quam non entis exclusio, uti imperfectio, entis est negatio. Quò igitur ens magis est perfectum, eò plus habet entis, quia minus negationis: consequenter summa perfectio est quasi ultima entis extensio. Tantum igitur abest, ut Ens & adæquata perfectio repugnent, ut potius ista sit ultimum entis complementum. Rursus tam parum inter se pugnant hi duo termini *adæquata perfectio*, quam repugnent isti, *Ens & perfectum*. Nam limitatio non tantum non est perfectioni essentialis, sed potius eidem opposita, cum limitatio & imperfectio sint idem: ergo nulla ex parte est repugnantia, sed summa in omnibus convenientia: adeoque Ens adæquatè perfectum, est & dici debet possibile.

Minor in superiori syllogismo videtur ex terminis nota: Ens enim quòd necdum existit, qua ratione adæquatè perfectum erit? utique impossibile est illud esse

esse independens & æternum: impossibile proin, ut, si non existat, illud sit adæquatè perfectum, cum ei desit prima perfectionis prærogativa, nempe illimitatum esse. Tantam igitur, & non majorem habebit perfectionem, quantum accipiet, utique non adæquatam, sed limitatam, nisi velis dicere, imperfectionem perfectioni essentialem esse, quod repugnat in terminis. Possumus ergo concludere, quod Ens adæquatè perfectum existat, cum illud evidenter non sit impossibile; tale Ens est Deus ipse ter Optimus, Maximus: ergo.

Ejusmodi argumenta proponuntur à variis varia, v. g. vera carentia omnis imperfectionis non est imperfectio; esse impossibile est imperfectio: ergo vera carentia omnis imperfectionis non est impossibilis. Item: *Esse* est evidenter possibile, quia impossibile est id, quod involvit esse, & non esse; esse autem non potest involvere non esse. Item: datur aliquid imperfectum: ergo est possibile ens omni ex parte perfectum; quia omne ens imperfectum, est ideo imperfectum, quia non habet omnem perfectionem possibilem: implicat enim in terminis, quod ideo sit imperfectum, quia non habet perfectiones impossibiles, sive quia non est Chimæra: ergo omnis perfectio est possibilis: ergo ens perfectum, seu habens omnem perfectionem est possibile. Ejusmodi, inquam, argumenta proponuntur plura, quæ tamen omitto, quia illud, quod cum addita confirmatione proposui, videtur rem totam ad sua fundamenta melius revocare, & dilucidius explicare. Utrum porro intellectum convincat demonstrativè, id asserunt multi, cum Peripatetici, tum imprimis Cartesiani, quibus ego me non opponam, utpote qui gaudeo, si supremi Numinis nostri existentia modis pluribus demonstretur. Interea tamen sunt etiam multi, qui putant, ejusmodi argumenta detinere quidem intellectum, non tamen convincere, & quietum reddere. Inter istos fuit Doctor Angelicus, dum resp. 2. art. 1. sic disseruit: *Dato, quod quilibet intelligat, hoc nomine DEUS significari illud, quo majus cogitari non potest; non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat, id quod significatur per nomen esse in rerum natura, sed in intellectus apprehensione tantum; nec potest argui, quod sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest, quod non est datum à ponentibus Deum non esse.*

CAPUT II.

De Deo operante.

§. I.

An omnis creatura immediatè à Deo dependeat in esse & operari?

QUOD omnis creatura tam in fieri, quam in conservari necessariò dependeat immediatè à Deo, ita ut sine influxu Dei immediato creatura nulla possit produci, nulla conservari, est communissima contra Durandum & paucos alios Catholicorum Sententia, & adeò recepta, ut à S. Thoma, Suarío, Bellarmino, & aliis opposita dicatur periculosa. Prob. 1. Auctoritate Script. & SS. Patrum: Nam Isai 26. dicitur: *Omnia enim opera nostra opera-*

us es nobis. Et ad Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia* Et 1. ad Cor. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Joann. 5. *Pater meus usque modo operatur.* Et Sap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?* Sed isti textus denotant influxum Dei immediatum in quamlibet creaturam, & ita intelliguntur à SS. Patribus, ut videri potest apud Suarium Disp. 22. Metaph. ut enim plura omitam, S. Ansel. in Monolog. cap. 12. ait: *Dubium non nisi irrationali menti esse potest, quod cuncta, quæ facta sunt, eodem ipso sustinente vigent, ac perseverant esse, quandiu sunt, quo faciente à nihilo habent esse, quod sunt.*

Prob. 2. ratione: Quia sicut creatura est de se insufficientis, ut primò existat, ita etiam insufficientis videtur, ut in esse perseveret: & sicut cessante actione illuminativa, cessat lux in aëre, ita cessante actione conservativa Dei cessarent omnia; nam esse summam sui & aliorum sufficientiam, est specialis perfectio, quæ Deo negari non debet. Conf. 1. Spectare videtur ad summam Dei sufficientiam & amplitudinem perfectissimi in creaturas omnes dominii, ut Deus saltem possit immediate influere in omnes effectus creatos; sed non posset immediate in omnes influere, nisi actu in omnes influeret: nec enim posset influere in illam actionem totalem, per quam effectus poneretur à sola creatura, cum talis actio essentialiter à sola creatura dependeret. Conf. 2. si Deus in aliquem effectum creatum non influeret immediate, non posset illum immediate destruere, sed solum mediatè, destruendo scilicet illius causam, vel producendo aliquam entitatem cum priore impossibilem; hoc videtur limitare Divinum in creaturas dominium: ergo, prob. maj. quia immediata destructio effectus fit cessando ab actione productiva vel conservativa ejusdem; sed nemo potest cessare ab actione, quam ipse non ponit. Similiter positis omnibus ad agendum requisitis, non posset convenienter impedire effectum per nolitionem, nisi simul ab illo dependeret; quia velle & nolle solum sufficient ad determinandas operationes potentiarum, quæ sunt in habente talem voluntatem: unde si effectus esset operatio solius potentiae creatæ existentis extra Deum, Divina voluntas nolens non sufficeret ad illam impediendam: deberet ergo Deus, vel causam destruere, vel entitatem aliam impediendam producere, quod inconvenientius videtur.

§. II.

Argumenta Contraria.

Primum: Gen. 2. dicitur *Deus requiesisse die 7. ab universo opere, quod patrarat* ergo nihil deinceps est operatus. Resp. ne. conf. Sensus allati textus est, ut videre est apud Cornelium à Lapide, quod Deus die 7. mundum absolverit, quodque tunc nullas novas rerum species produxerit, quæ spectarent ad integritatem mundi: quod enim Deus etiam postea operatus sit, patet ex his Christi verbis: *Pater meus usque modo operatur.*

2. Imperfectio operis arguit imperfectionem artificis; extrema illa indigentia, quæ causis creatis adscribitur, est magna imperfectio operum Divinorum; ergo. Resp. dist. maj. imperfectio materialis, essentialis, & metaphysicè necessario imbibita in omni agente purè creato, ne. imperfectio alia formalis pro-

veniens ex defectu artis, con. maj. & dist. min. indigentia illa est magna imperfectio, essentialis tamen omni agenti creato, con. est imperfectio orta ex impotentia, imperitia, vel incuria Creatoris, ne. mi. & conf.

3. Si Deus immediatè influit in omnes effectus, tunc etiam influeret in nostros actus vitales; hoc dici non potest, nam Deus per illos videret, intelligeret, uti nos videmus, & intelligimus: ergo. Resp. ne. mi. & ejus prob. Non omne, quod quomodocunque concurrat ad intellectiones & visiones, per illas intelligit & videt, nisi dicere velis etiam species & lucem videre & intelligere. Illa igitur causa formaliter videt & intelligit, quæ tanquam vitale subiectum operationem à se productam in se immediatè recipit, quod non facit, nec potest facere Deus.

4. Deus non influit immediatè in actiones liberas creaturarum: ergo non in omnes. Prob. ant. si influeret, tolleretur libertatem ipsarum, quotiescunque enim plures causæ concurrunt ad eundem effectum, causa potentior actionis suæ vi trahit impotentior ad agendum; sed hîc essent duæ causæ, quarum potentior est Deus: ergo. Resp. ne. ant. ad prob. ne. seq. & ejus prob. dist. nisi causa potentior concursum suum attemperet, & quodammodo permittat electioni causæ invalidioris con. aliter nego. Dices, fieri nequit, ut plura principia libera immediatè concurrant in eundem effectum, prout ipsi docuimus agentes de animæ rationalis indivisibilitate: ergo Deus non potest immediatè concurrere cum agentibus creatis liberis ad eundem effectum liberum. Resp. dist. ant. nisi alterutrum relinquat determinationem alteri, con. si alterutrum relinquat alteri determinationem, eique & libero ejus arbitrio se accommodet: & attemperet inter operandum, nego. Deus nobiscum concurrat relicta nobis libertate agendi, quod maluerimus, offertque concursum indifferentem, hoc est, paratum ad utrumque contrarietatis membrum, scilicet ad volendum, vel nolendum, prout nobis placuerit.

5. Deus non influit immediatè in operationes malas: ergo non in omnes. Prob. ant. si Deus influeret in operationes malas esset causa peccati, sicut creatura; consequens damnatum est à Trident. sess. 6. can. 6. ubi hæc habet: *Si quis dixerit, mala opera Deum operari ut bona, non permissivè solum, sed & propriè, & per se, anathema sit.* Conf. 1. Concilium docet, Deum non operari opera mala; sed causa immediatè influens in opera mala, operatur opera mala: ergo. Conf. 2. Tam sancta est omnipotentia, quàm voluntas DEi; sed voluntas non potest immediatè velle peccatum: ergo neque omnipotentia illud operari.

Resp. ne. ant. ad prob. dist. maj. Si Deus influat per se cum inclinatione ad malum, sicuti facit voluntas creata, & ex determinatione propriæ voluntatis, sese ex proprio motu determinantis ad actum malum, con. maj. si Deus influat solum per accidens, permissivè ut determinatus à causa secunda, & sine ulla inclinatione ad malitiam peccati, nego. Creatura est, quæ Dei potentiâ abutitur ad actum malum, sicut insanus abutitur gladio, qui ad sui tutelam ei erat concessus. Hinc conqueritur Deus apud Isai. c. 43. *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis.*


Ad 1. Conf. ne. maj. Concilium non docet Deum nullo modo operari mala, sed ipsum non operari mala, uti operatur bona: est enim ingens disparitas, cum ad actus bonos concurrat cum inclinatione, hortando, præcipiendo, auxiliis supernaturalibus juvando &c. ad malos autem duntaxat permissivè, per accidens ut determinatus à libero arbitrio creato, cujus libertatem, ut servet

indem-

indemnem, patitur ad concursum simultaneum se quasi abripi, non ex amore, quo feratur in actionem peccaminosam, sed ex amore honestatis, quæ in eo posita est, quod sit Auctor naturæ, quodque adeo ipsum deceat, liberum arbitrium, seu ad bonum seu ad malum sese ultro determinans, adjuvare. Accedit, quod malitia peccati, ut probabilius docetur in Ethica, consistat in privato; sicut enim falsitas, ut docet Logica, in eo consistit, quod actus intellectus suo objecto non conformetur, ita peccatum in eo, quod actus voluntatis discordet à regula morum: hæc autem negatio non denominat peccantem, nisi illum, qui agendo contra dictamen rationis se morum regulæ non conformat; & hic est sola creatura: Nam Deus ex intentione & amore honestatis agit, ut primum vidimus. Quare entitas actus distinguenda est ab ejus malitia; quod physicum est, non est malum, sed per privationem malum redditur, quæ illum duntaxat afficit, qui per actum suum non se conformat honestati.

Ad 2. Conf. retorquetur imprimis argumentum: tam sancta est omniscientia, justitia, æternitas atque immensitas Dei, quam sancta est voluntas ejusdem; sed voluntas non potest immediatè velle peccatum: ergo neque omniscientia illud immediatè cognoscere, nec justitia punire, nec æternitas aut immensitas eidem coexistere. Resp. 2. concessis præmissis, ne. conf. Syllogismus non est bonus, ut patet. Cæterum disparitas inter voluntatem & alia attributa Divina est, quod peccatum respectu illius solum sit malum morale, qui illud liberè eligit, vel aliàs contra rationem ad illud positivè vel negativè concurrat: non verò respectu illius, qui malum cognoscit, aut punit, aut &c. Deus autem nec malum eligit, nec ad actionem malam concurrat contra, sed juxta rectam rationem, cum pertineat ad munus Causæ primæ, ipsamque deceat, ut concursum suum non deneget agere volenti.

Dicis tamen: Vel Deus influit per eandem actionem, per quam influit creatura, vel per distinctam? Resp. per eandem, nullam enim potest ponere creatura, ad quam non simul concurrat Deus. Sed instas, actio creaturæ est sæpe mala: ergo actio Dei & creaturæ non est eadem: vel si eadem est, non potest Deus eam velle, atque ad eam concurrere. Resp. dist. mi. nulla Dei actio est mala formaliter, ut actio Dei est, con. non est mala realiter respectu creaturæ, nego. Quando plures concurrunt ad eandem actionem, unus ex mala intentione, alter ex intentione optima, actio solum respectu illius mala est, qui priore modo concurrat. Igitur eandem actionem esse malam respectu unius, & non esse malam respectu alterius, non sunt contradictoria, cum diversos respiciant terminos: sicut eadem actio mala, vitalis est & immanens respectu creaturæ, non item respectu Dei. Neque Deus illam vult ex se, sed vult duntaxat illam permittere, atque ad illam concomitanter ad liberi arbitrii creati determinationem concurrere, seu concursum suum agere volenti præstare, ut explicatum est.



§. III.

*An Deus concurrento cum creaturis illas
physicè prædeterminet?*

Quæstionem aggredimur partim Philosophicam, partim Theologicam: quæ Theologica sunt, eatenus attingemus, quatenus sunt ad intelligendam quæstionem necessaria. Docent igitur recentiores Thomistæ (Antiquiores enim, ut asserit Oviedo, longè senserunt aliter, nullusque ex illustrissima Dominicanorum familia ante Bannez hujus prædeterminationis meminit, & eam post ipsum Alveda, Gutierrez, Viezma, alique Thomistæ negarunt multi) docent, inquam, Deum concurrere cum causis secundis illas physicè prædeterminando, per influxum aliquem physicum & prævium, seu entitatem aut qualitatem quandam, quæ habeat cum suo determinato effectu connexionem, quæ frustrari non possit, ita ut impossibile sit, dari talem prædeterminationem physicam, quin detur talis actus. Prædeterminatio hæc physica à solo Deo in animam infunditur, & per eam intrinsecè completur voluntas ad agendum, ita ut sine illa non possit voluntas actualiter talem actum elicere: & tamen à solo Deo datur, & cui vult, & quando vult, datur, nec est in potestate nostra, illam habere, aut impedire, vel datam auferre. Hanc attribuunt S. Thomæ; Gonetus enim ait §. 3. *Juxta S. Thomam Deus non solum præmover, sed etiam prædeterminat causas secundas, nam dicere, inquit, S. Thomam admittere prædeterminationem, non autem prædeterminationem physicam, fastidiosi stomachi scrupulus est iste, sic distinguuntis.* Eanque Gudinus multis probare conatur.

Porro voluntas illa, quam Deus habet dandi prædeterminationem, appellatur decretum prædeterminans, seu prædeterminatio activa & æterna; qualitas verò seu entitas illa per tale decretum à Deo in animam infusa, appellatur prædeterminatio passiva, & in tempore à Deo data: Duplex præterea distinguunt genus prærequisitorum: alia nempe, ut ajunt, sunt potentialia, seu per quæ causa secunda completur ad esse proximè potentem agere; & alia sunt actualia, per quæ causa secunda completur ad esse actu agentem. Prærequisita potentialia v. g. in Petro ad amandum, sunt indifferentia activa voluntatis, judicium indifferens, indifferentia objectiva & cætera hujusmodi, quæ conjungi possunt tam cum amore, quam cum non amore. Præter requisita potentialia admittunt prærequisitum unum aliud, quod actuale vocant, & est ipsa prædeterminatio passiva, quæ dicitur prærequisitum actuale, quia causam secundam jam completam prærequisitis potentialibus applicat, actuat, & determinat ad unum numero actum; & inde est, quod dicunt, prædeterminationem non se tenere ex parte actus primi, quia non est unum ex prærequisitis potentialibus; sed se tenere ex parte actus secundi, quia est prærequisitum actuale: unde inferunt prædeterminationem non tollere libertatem.

Duplicem deinde distinguunt potentiam proximam, habitualementem nempe & actualem: potentia proxima habitualis juxta ipsos est causa secunda completa omnibus prærequisitis potentialibus: potentia verò proxima actualis est eadem causa secunda, habens insuper ipsam prædeterminationem passivam. Unde aliter ipsi, ac nos, explicant causam creatam in actu secundo. Nos dicimus, causam secundam in actu primo esse causam habentem omnia prærequisita

sita ad posse proximè agere, ita ut nihil desit ipsi, quàm ipsa operatio actualis, per quam fit causa in actu secundo, seu causa acti causans: illi verò dicunt, causam in actu secundo dicere omnia prærequisita ad posse proximè agere, & præterea non dicere actualem operationem, sed tantum physicam prædeterminationem.

Addunt denique causas necessarias prædeterminari per modum naturæ, liberas per modum rationis; cum enim modus agentis liberi sit agere ex ratione, & ita unum velle, ut simul possit illud non velle, aut velle oppositum, inde dicunt Petrum, quantumvis prædeterminatum ad amorem, liberè tamen amare, quia habet potentiam proximam non amandi, potentiam scilicet habitualement, non actualem; prædeterminatio enim est prærequisitum, ut ajunt, actuale: ergo non tollit libertatem. Causæ autem necessariae prædeterminantur physicè per modum naturæ, quia dum producant effectum unius speciei, non habent simul potentiam etiam habitualement, ad omissionem talis effectus, neque indifferentiam objectivam &c. At nisi fallor, hæc præmotio in causis necessariis est superflua, cum jam sint ex se ad speciem determinatæ, & agant necessariò: in causis autem liberis videtur tollere libertatem, quam tamen ipsi Prædeterminantes volunt illasam, juxta verum dogma Catholicum, ut ostendetur Contempl. seq. & jam patebit ex sequentibus.

Deciditur quæstio.

Quare dicendum, non dari prædeterminationem physicam. Ita communis aliorum contra Thomistas, aut potiùs Bannezianos, nec enim credo, S. Thomam in eorum fuisse sententia, ut ex dicendis patebit. Prob. 1. ex Script. Moyse Deuter. 30. testes invocat cælum & terram, quod proposuerit hominibus vitam & mortem, ut eligant vitam & vivant. Quomodo autem possunt eligere, si ad unum essent prædeterminati? Item Eccli. 15. legitur: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Quomodo autem dabitur, quod placuerit, si homo non potest velle sine prædeterminatione? prædeterminatio autem non sit in ejus potestate, ut habeatur, nec ut impediatur, & tamen cum actu, ad quem determinat, connectatur infallibiliter. Deinde posita præmotione physica, quomodo justa fuisset illa Christi exprobratio, dum dixit Matth. 11. *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent.* Potuissent enim Corozaitæ Christo respondere: Domine, non mirum, si Gentiles visis miraculis fuissent conversi; habuissent enim à Te prædeterminationem infallibiliter cum poenitentia connexam: nobis autem hanc non dedisti, sine qua tamen non potuimus poenitentiam agere, nec fuit in potestate nostra illam habere. Accedit Conc. Trid. sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, Deo excitanti atque vocanti non posse dissentire, si velit, anathema sit.* Ergo Deus non excitat prædeterminando physicè.

Dicunt hic aliqui, arbitrium hominis à Deo motum posse semper dissentire, potentia saltem habituali. Sed quid juvat potentia hæc habitualis, si actuali vinculo ligetur? quis unquam dicet, vinctum catenis posse libere ambulare ex eo, quod habeat potentiam ambulandi in absentia catenarum? sed neque homo haberet potentiam habitualement: vinctus enim in absentia catenarum habe-

ret pedes expeditos ad ambulandum; talis autem homo in absentia prædeterminationis non haberet potentiam completam ad agendum, cum juxta ipsos impossibile sit agere sine prædeterminatione physica. Alii dicunt, posse dissentire, si velit, sed nunquam volet sine prædeterminatione. Credo, equidem, quia nec potest velle: ergo inanis est Concilii sensus, si ita interpretemur, & illud si velit non sit in potestate hominis.

Prob. 2. Auctoritate SS. PP. & Doctorum, quorum catalogum bene longum habet Henricus de Cerf, Doctor Duacensis: ita S. Chrysostomus hom. 12. in cap. 7. Ep. ad Hebr. ait: *Deus non prævenit nostras voluntates, ne perdat liberum arbitrium.* Sed unum expendamus Doctorem Angelicum, an sit hujus sententiæ Auctor, an verò ab hac sententia summè alienus, ut P. Jos. de Vita Thomista ipse ostendit in libro Panormi edito. Imprimis apud S. Thomam nec reperire est nomen præmotionis aut prædeterminationis. Deinde in 2. dist. 28. q. 1. a. 1. hoc habet: *Non enim homo esset liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc vel illud.* Et dist. 39. q. 1. a. 1. ipsa, inquit, *Potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinatè exeat in hunc actum vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Et quæst. 6. de malo: *Quantum ad exercitium actus, manifestum est, quod voluntas movetur à seipsa; sicut enim mover alias potentias, ita seipsam movet.* Adde Capreolum ipsius Discipulum, qui dist. 24. a. 3. ad 6. hæc habet: *Voluntas, quantum est de sua natura, est ad opposita: ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id, quod vult, & ita non indiget alio determinante.* Quis jam Logicus audeat concludere: ergo juxta S. Thom. datur prædeterminatio physica? Non igitur mirum, si teste Hennaio Reverendiss. P. Thomas Turcus celeberrimi Ordinis S. Dominici Generalis in coetu thesium publico dixerit, prædeterminationes physicas esse doctrinam plurium Thomistarum, sed à S. Thoma longè aberrantium. Et hanc prædeterminationem impugnavit etiam in libro speciali Doctissimus Campanella, ad petitionem aliorum PP. Dominicanorum.

Prob. 3. ratione: quia hæc prædeterminatio videtur tollere libertatem indifferentiæ, & inferre necessitatem, ut enim habet S. Thom. *In his quæ determinata sunt ad unum, electio locum non habet*, quod sic probatur: Quod ponitur in nostra voluntate, quin possimus impedire, quò minus ponatur, nec auferre, dum est positum, & tamen voluntatem determinat infirmitabiliter ad unum ex oppositis, id videtur tollere libertatem & inferre necessitatem; talis est prædeterminatio physica: ergo. Conf. quia prædeterminatio physica est prior natura & causalitate ad actum, & juxta Thomistas non est concursus merè simultaneus; etsi enim aliqui hoc tempore dicant esse aliquod intermedium inter actum primum & secundum; hoc ipso tamen est aliquid prius ad actualem operationem: ergo se habet per modum alicujus antecedentis necessario connexi cum actu, quod non est in nostra potestate: ergo non apparet, qua ratione actus liberè poni possit.

Ut vim argumenti declinent, varias afferunt distinctiones, sensus compositi, & sensus divisi; prærequisiti potentialis, & actualis; potentiæ proximæ habitualis, & potentiæ proximæ actualis; determinationis per modum naturæ & per modum rationis, per modum liberi & per modum necessarij; indifferentiæ objectivæ, & activæ &c. sed pensatis omnibus mera verba sunt: quid enim juvat vinctum, quòd in sensu diviso catenarum possit ambulare, si non possit se à catenis dividere, nec poruerit catenas impedire? quid juvat cognitio indifferentiæ objectivæ, per quam repræsentatur utrumque oppositum, si non datur ad utrumq; electio?

atio? quomodo fieri potest determinatio per modum liberi, dum per determinationem indifferentia ad utrumque tollitur? quomodo dari poterit actus primus proximus indifferens, cum sine pramotione impossibile sit in actum prorumpere; hac autem posita actus sequatur necessario? Hæc tam clara sunt, ut diutius iis inhærere supervacaneum videatur.

Prob. 4. Quia hæc sententia videtur Deum facere Auctorem peccati, quod est contra Conc. Trid. §. super. citatum. Ille enim est Auctor peccati, qui ad peccatum per se & directè movet motione efficaci; atqui Deus non solum non impediret, sed impelleret, sed pramoveret impulsu efficacissimo ad malum, & quidem tali, cui resisti non possit: ergo non purè permissivè, sed directè malum operaretur, & quidem longè magis, quàm creatura: sicut enim gladio, qui de se impotens est ferire, non imputatur occisio, sed Petro gladium moventi; ita voluntati, cum de se impotens sit operari, non deberet imputari malum, sed Deo efficaciter illam pramoventi. Solent hic respondere, Deum prædeterminare tantum ad materiale peccati, seu ad entitatem actus mali, non autem ad formale malitiæ.

Sed contra: Quia hæc malitia hic & nunc inseparabilis est ab entitate actus: ergo qui actum intendit, approbat, & efficaciter promovet, vult etiam, quod cum ipso connexum est. Et certè, quicumque peccat, non vult aliud nisi illud materiale, quod hic & nunc haberi non potest sine malitia formali, ipsam enim malitiam formaliter ut talem non vult directè & per se: & tamen, qui peccat, verè peccat, verè est causa, & Auctor peccati sui. 2. Qui applicat ignem est causa combustionis, & qui suadet actum malum, eidem imputatur: ergo à fortiori, qui ad illum efficaciter impellit. 3. Lex Divina prohibet hic & nunc ipsum actum materiale peccati: quomodo ergo potest efficacissimè ad illum pramovere? Adde, quòd juxta doctrinam S. Thomæ, etsi homo non semper teneatur velle, quod vult Deus; semper tamen tenetur velle, quod Deus vult illum velle: quomodo igitur peccabit homo, si velit id, quod Deus vult illum per prædeterminationem velle? Conf. In hac sententia similiter non apparet, cur propter omissionem actus præcepti puniri debeat peccator; nemo enim propter omissionem actus chimærici potest damnari: sed actus v. g. amoris sine prædeterminatione est actus chimæricus: ergo.

Quæ omnia sequuntur ex doctrina Bannezii, qui 1. p. q. 14. a. 13. ait: *Nulla causa secunda potest operari, nisi sit efficaciter à Prima determinata.* Igitur prædeterminatio æqualiter necessaria est ad actionem bonam & malam, cum sine illa non possit agere causa secunda. Quòd si approbetur responsio P. Lemos dicentis: *Et ex hoc capite non coarctatur ad illam (prædeterminationem) defendendam pro actibus aliis facillimis naturalis ordinis, & pro actionibus peccatorum:* tunc ruunt prima prædeterminantium fundamenta, quæ ex eo vim suam repetunt, quòd creatura essentialiter dependeat à suo creatore, ita quidem, ut nulla actio creata poni possit, ad quam Deus, velut causa prima & universalis, non prius efficaciter moveat, & causam secundam determinet.



§. IV.

Argumenta Contraria.

Primum: Principium ex se indeterminatum & indifferens non potest exire in actum, nisi prius determinetur ab alio, quod sit in actu, seu quod habeat ex se, vel in se determinationem; sed voluntas humana, ut est libera libertate indifferentia, est principium ex se indeterminatum aut indifferens ad utrumlibet: ergo voluntas non potest exire in actum, nisi ab alio determinetur, scilicet à Deo. Maj. patet, quia idem manens idem semper facit idem: ergo principium indeterminatum semper manebit indeterminatum, nisi ad unum determinetur. Resp. dist. maj. Non potest exire in actum, nisi prius determinetur ab alio per modum determinationis generalis circa bonum in communi, con. per modum determinationis specialis circa hoc vel illud bonum, qualis à Thomistis prædeterminatio physica statuitur, ne. maj. ad cujus prob. dist. conf., nisi ad unum determinetur, vel à se, vel ab alio, con. ab alio tantum, ne. conf. Ea est principii liberi virtus, ut posita inclinatione ad bonum in communi, & ejusdem representatione, possit se ipsum determinare ad hoc vel illud amplectendum aut relinquendum. Responsio est S. Thomæ 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. *Dicendum, inquit, quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis Motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universali motione, homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum. Deinde nonne Deus summe liber seipsum determinat?*

2. Deus est causa prima, cui omnis causa secunda essentialiter subordinatur: ergo priusquam causa secunda operetur, moveri debet à prima per influxum aliquem, in ipsa causa secunda receptum, ac talem omnino, qualis intelligitur per physicam præmotionem. Resp. ne. conf. quia sine hac præmotione multipliciter intelligi potest, quomodo Deus sit causa prima, eidemque omnis causa secunda essentialiter subordinetur. 1. quidem, quia ipse cuilibet causæ secundæ tribuit suum esse, & omnem virtutem agendi, quæ ad operationem quamcunque causæ secundæ necessario præsupponitur. 2. quia idem esse & virtutem cujuscunque causæ secundæ Deus conservat. 3. quia insuper quamlibet causam secundam pro priori signo naturæ constituit in actu primo proximo ad agendum proximè expeditam, idque secundum modum, & conditionem propriam cujuscunque causæ secundæ in particulari. 4. quia ipse solus habet virtutem, agendi à se, & est simul causa universalissima, à qua omnis alia causa dependet in agendo, ita ut impossibile sit, ullam aliam causam operari quidquam, nisi illo quoque per simultaneum concursum in eandem actionem immediatè influente. Quod autem præter hæc omnia ad rationem primæ causæ requiratur influxus alius cum libertate creata incompotibilis, nemo jure exigit.

Dices tamen: Juxta S. Thomam q. 3. de Creatione a. 7. *Simpliciter concedendum est, Deum operari in natura & voluntate operantibus, ita quidem, ut ad quamlibet actionem moveat; nam, Quia nulla res per seipsam movet vel agit, nisi sit movens non motum, tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius, in quantum movet eam ad agendum; in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem: sicut homo est causa incisionis cunei ex hoc ipso, quod applicat*

applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit, nisi mota ---- sequitur de necessitate, quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens & applicans virtutem ad agendum ---- Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit ---- Sequitur, quod ipse in quolibet operante operetur non exclusa operatione voluntatis & naturæ. Ergo planè juxta S. Thomam Deus quamlibet actionem operatur, non tantum tribuendo virtutem, aut concurrente solum, sed etiam applicando, & præmovendo physicè.

Resp. ne. conf., si intelligatur de præmotione physica, uti post Bannezium à Thomistis explicatur. Ut mentem Angelici Doctoris hoc loco intelligamus, advertendum est, posse motum ab aliqua causa ita imprimi, ut tamen ejus determinatio dependeat ab alia: Sic ventus navi motum imprimit; motum tamen navi impressum in hanc aut illam partem determinare potest Navarchus; Sic etiam motus cultello impressus potest in sui determinatione dependere vel ab inæqualitate ligni, vel à causa alia. Id tamen discriminis hoc eodem loco agnoscit S. Doctor inter voluntatem & causas alias naturales, quod voluntas, utpote potentia libera, possit ipsa motum impressum determinare, non item aliæ causæ naturales; uti enim ad 12. ait: *Deus voluntati dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis; quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum.* Et ad 13. *Causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis & voluntatis.*

Hic igitur motus prævius juxta S. Thom. non est præmotio physica, quæ ad alteram contradictionis partem prædeterminet; sed talis est, ut ejus determinatio relinquantur in potestate rationis & voluntatis. Quod enim voluntas, ut alibi dicit, determinatè exeat in hunc vel illum actum non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate. Quid autem per hunc motum prævium intelligat S. Doctor, hoc loco non ita clarè explicat. P. Daniel existimat, neutiquam intellexisse qualitatem aliquam ab omni perceptione distinctam, quæ nec agat per illustrationem, nec per inspirationem, aut similem modum, animæ cognoscenti & appetenti proprium; sed esse perceptionem aliquam objecti, quæ animam rationalem moveat, ita tamen, ut determinatio actus relinquantur in potestate rationis & voluntatis. Uti enim S. Doctor ait in 2. sent. dist. 25. q. 1. a. 1. *Deus operatur in omnibus; ita tamen, quod in unoquoque secundum ejus conditionem.*

3. Admitti debet in Deo perfectum dominium in nostras voluntates; sine præmotione physica non datur perfectum hujusmodi dominium, cum potius voluntas nostra foret actuum suorum Domina. Resp. dist. maj. perfectum dominium, quod tamen sit cum voluntate nostra libera compossibile, con. quod cum libertate hac sit impossibile, nego. Patet ex præc. responsione, quot modis Deus voluntatum nostrarum Dominus sit: quod autem etiam voluntas nostra aliquatenus actuum suorum Domina sit, nihil est inconveniens, imò hoc erat necessarium posito, quod Deus eidem voluerit concedere libertatem, quod iterum tanquam supremus Dominus facere potuit. Audiamus iterum S. Thom. q. 22. de verit. a. 5. ad. 5. *Hoc est proprium voluntatis, inquit, ut voluntas est, quod sit Domina suorum actuum.* Et q. 9. de Pot. a. 1. ad 3. *Solæ substantiæ rationales habent dominium sui actus, itaque in ipsis est agere & non agere.*

Dices: Script. & SS. PP. dicunt, Deum applicare cor & voluntatem hominum ad se ita, ut non sit, qui possit resistere voluntati ejus: *Cor Regis in manu Do-*

E e e

Do-

Domini est, quocunque voluerit, inclinabit illud: converte me, & converte, &c. Item S. Aug. dicit: *Deus de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.* Et S. Paulus: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei:* ergo datur prædeterminatio physica, per quam Deus infallibiliter voluntates moveat. Resp. ne. conf. & dist. istos textus: Deus applicat, movetque voluntatem & cor, per qualitatem prædeterminantem ex se connexam cum tali actu, nego. per gratias congruas, id est, per illustrationes & inspirationes, non inferentes necessitatem, sed suaviter allicientes, quibus hominem ita vocat, inquit S. Aug. lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat.* con. Difficultas hæc est Theologica, de concordia gratiæ efficacis cum libertate, quam examinare, non est huius loci. Interim breviter per hoc efficacia gratiæ explicatur, quod Deus ex thesauro suo gratiarum infinito talem det gratiam, quam prævidet, conjunctum iri cum consensu: Sufficiens autem dicitur illa, quæ posset quidem consensum obtinere, non tamen obtinebit: ergo Dei miserentis est, quod talem det gratiam congruam, cui consensurus est homo, dum alii dat talem, cui consensurus non est; nec tamen hic justè conqueri potest, cum habeat gratiam sufficientem, cum qua posset bene operari, si vellet: & per hoc hæc ipsa gratia in aliquo sensu efficax est, cum reddat hominem potentem bene operari: & hunc effectum habet illa semper, quamvis non habeat ulteriorem, quia homo non vult uti hoc auxilio.

4. Deus non potest concurrere cum creaturis concursu simultaneo: ergo concurrit præmovendo physicè. prob. ant. Nisi concurrat præmovendo, sed tantum concursu simultaneo, expectare debet Deus determinationem creaturæ, ut se determinet ad concurrendum cum illa; hoc dici non potest, quia sic Deus subjaceret creaturæ. Resp. ne. ant. ad prob. dist. maj. expectare debet determinationem creaturæ, nisi Deus per scientiam mediam prævideat, quid creatura qualibet, in quibuscunque circumstantiis, & quibuslibet cum auxiliis factura sit, con. si hoc prævideat Deus, nego. Theologi nostri, ut mysterium hoc explicent, triplicem in Deo distinguunt scientiam, realiter quidem unam, formaliter tamen diversam, nempe scientiam simplicis intelligentiæ, scientiam visionis, & scientiam mediam. Prima est illa, per quam Deus cognoscit rerum omnium essentias, & omnia possibilia præcisè ut talia. Secunda est illa, per quam Deus ab æterno omnia absolute & determinatè futura aut existentia pro quacunque temporis differentia cognoscit ut talia. Tertia est illa, per quam Deus cognoscit libera conditionatè futura, etiam quæ absolute nunquam erunt: hoc est, cognoscit, quid faceret unaquæque creatura, si esset in talibus aut talibus circumstantiis, si tale aut tale haberet auxilium &c. Itaque per scientiam simplicis intelligentiæ videt Deus, quidquid potest facere, v. g. Petrus ad agendum expeditus: per scientiam visionis videt, quidquid absolute factururus sit: per scientiam mediam videt etiam, quid faceret in omni circumstantia possibili. Ita dixit de Sidoniis Christus, quod acturi fuissent penitentiam, si ibidem facta fuissent miracula, quæ facta sunt in Bethsaida. Cum igitur Deus per scientiam mediam omnem creaturæ determinationem in quibuslibet circumstantiis prævideat, concurrit cum illa concursu simultaneo, quin eidem subiaceat, aut illius minuat libertatem. Et per hanc scientiam mediam explicant Theologi nostri concordiam libertatis cum gratia efficaci, prædefinitione & prædestinatione.

5. Si Deus non præmoveat, sed concurrat modo explicato, tunc fit instrumentum creaturæ. Resp. ne. hanc prop. quia instrumentum debet esse an-

rece-

tecedenter in potestate agentis, ut illo tanquam ignobiliore utatur, ad quos volet usus, quod certè convenire non potest Deo concurrenti, qui liberrimè suam omnipotentiam creaturæ offert, & applicat. Et sanè, si Princeps misero naufraganti manum tenderet ex libero & liberali affectu, quis eum propriè vocaret instrumentum? potiùs auxiliatorem diceret benevolum & potentem, quàm ut instrumenti nomine illum contemptim appellet. Quòd si malè agat creatura, sibi illa imputet, quòd contra Dei voluntatem concursu Divino abutatur. Hinc conqueritur Deus apud Isai. c. 43. *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis*: quod tamen non ita intelligendum est, quasi Deus esset servus creaturæ, sed tantùm, quòd creatura Dei omnipotentiæ sibi applicatâ abutatur ad malum.

6. Etiam concursus Dei simultaneus tollit libertatem; nam posito hoc concursu non potest non poni actus: ergo ponitur necessariò. Resp. ne. prop. ad prob. dist. ant. non potest non poni actus consequenter, con. antecedenter, ne. ant. & conf. Quando positus est actus, haud dubiè non potest non poni, sed in ipsa positione exercet creatura suam libertatem, quia actum ita ponit, ut potuisset non ponere; nec enim concursus simultaneus illi antecedenter necessitatem infert, sed habet se concomitanter ad liberam creaturæ determinationem. Deus autem exercet suam libertatem, dum liberrimè suam potentiam creaturæ applicat ad utrumque oppositum: deinde libertatem relinquit creaturæ, ut prodeat in actum secundum; in sententia autem prædeterminante solus Deus libertatem exerceret, cum solus prædeterminationem liberè poneret, ex qua tanquam ex antecedenti infallibiliter sequeretur actus creaturæ.

§. V.

*De Futurorum contingentium veritate
& Præscientia Dei.*

Quæstio hîc agitur, an contingentium tam absolutè quàm conditionatè futurorum, jam nunc determinata veritas detur? v. g. an hæc propositio, *Petrus cras pugnabit*, jam sit nunc determinatè vera, vel determinatè falsa? an consequenter Deus illius veritatem aut falsitatem ab æterno jam præviderit? Qua in re dicendum est, propositiones de futuris contingentibus esse determinatè veras, vel determinatè falsas. Probatur ex principio ipsius Aristotelis, quamvis ipse non semper sibi constet: *Propositio est vera aut falsa ab eo, quod res est, vel non est in seipsa pro tempore importato per copulam*. Atqui res, seu objectum propositionis de futuro contingente determinatè est, aut determinatè non est pro tempore importato per copulam: ergo propositio de futuro contingente est determinatè vera, aut determinatè falsa; & quidem non ab eo, quod res est determinatè nunc, vel non est nunc determinatè, cum nunc non sit tempus importatum per copulam; sed ab eo, quod res est cras, vel pro alio tempore futuro determinatè, cum hoc solùm sit tempus importatum per copulam. Prob. subf. in exemplo, *Petrus cras pugnabit*: Evidens est non qualicumque, sed evidentia principii omnium primî, quòd Petrus determinatè pugnabit cras, aut determinatè non pugnabit cras, cum cras tam parùm possit simul idem esse & non esse, quàm hodie, & cras non possit simul poni utrum-

E e e 2

que

que, nec neutrum : ergo res seu objectum propositionis de futuro contingente determinatè est, aut determinatè non est pro tempore per copulam importato.

Eodem modo probatur conclusio in propositionibus de futuris conditionatis, ut in ista: *Petrus cras ambularet, si foret serena tempestas*: æquè enim est impossibile, ut objectum impleta conditione per copulam designata simul esset, & non esset, aut simul nec esset, nec non esset, adeoque ut poneretur simul utrumque vel neutrum; quàm impossibile est, ut absolute cras pugnet Petrus simul & non pugnet, vel ut nec pugnet, nec non pugnet, cum impleta conditione, v.g. in priori exemplo, posita serena tempestate, alterutrum necessariò futurum est, nimirum vel ut ambularet Petrus, vel non ambularet.

Dicendum 2. Existit in Deo futurorum contingentium præscientia. Prob. ex præc. Nam intellectus Divinus est summè & infinitè intelligens: ergo intelligit, quidquid est verum & intelligibile; atqui futurorum contingentium datur veritas determinata: ergo hanc intelligit, & cognoscit Deus. Dum autem cognoscit absolute futura, dicitur scientia visionis: dum conditionatè futura, dicitur scientia media. Pro utraque suffragantur nobis perspicua Divinarum Script. testimonia, ut illud Isaj. c. 45. *Hæc dicit Dominus: ventura interrogate me.* Et illud ps. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè, & omnes vias meas prævidisti.* Item Eccli. 23. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Et hæc omnium contingentium præscientia Deo ita propria est, ut Isaj. 41. scriptum sit: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dñi estis vos.*

Pro contingentibus conditionatè futuris, habes præter alia exemplum superius relatum de poenitentia in Tyro & Sidone futura, si ibidem factæ fuissent virtutes, quæ inter Corozaitas & Bethsaitas factæ sunt. Unde S. Aug. lib. 5. de Civ. Dei cap. 9. affirmatè pronunciat: *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Et rectè, si enim non præsciret futura, illa de novo addisceret, dum fiunt: ergo mutationem pateretur Divinus intellectus, & Deus ipse; aut dicendum esset, quòd ignoraret præsentia: quod utrumque insanum est, nec cum Deo & Divina ejus providentia stare potest.

§. VI.

Argumenta Contraria.

Primum: Posita Dei præscientia infallibili de futuris contingentibus tollitur libertas creata: ergo vel non datur hæc præscientia, vel non datur libertas. prob. ant. posita Dei prævisione de peccato Petri futuro, Petrus peccat necessariò: ergo tollitur libertas creata. Resp. ne. ant. uti enim enormiter aberrarunt Veteres illi, qui hominis libertatem asserentes, Deum præscium futurorum negarunt; ita turpiter errant illi, qui Deum asserentes futurorum præscium, cum Wicleffo hominis libertatem è medio tollunt. Unde ad prob. dist. ant. peccat necessariò necessitate consequenti, con. necessitatè antecedenti, ne. ant. & cons. Dei prævisio supponit liberam Petri determinationem, quâ positâ non potest aliter agere necessitate consequenti, sicuti dum sto, non possum non stare necessitate consequenti: hæc autem necessitas neutriquam

ti quam officit libertati, cum non sit antecedens actionem inferens, sed primū sequatur ad liberam Petri determinationem.

Unde potius sic argumentor contra huiusmodi Hæreticos: Deus per hanc suam præscientiam novit eventus futuros, quales in se sunt, & qualiter futuri sunt; sed contingentes sunt, & contingenter seu libere futuri: ergo novit eos esse contingentes, & libere futuros. Maj. patet, præscientia enim Dei, cum sit certò & infallibiliter vera, novit objecta, qualiter in se sunt. Minor supponitur; unde liquet planè consequentia. Jam statim subinfero: ergo Dei præscientia immutare, aut tollere futurorum contingentiam non potest, alioquin suam ipsa veritatem, atque adeò seipsam destrueret; videret enim esse in eventibus contingentiam, quam simul destrueret, & destrueret, quam videret, & videndo destrueret; quod absurditatem & implicantiā terminorum involvere, quis non videat? Hoc argumento utitur S. Aug. lib. 5. de Civ. Dei c. 10. scribens: *Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit, quid futurum esset in nostra voluntate: non enim, qui hoc præscivit, nihil præscivit. Et post aliqua sic iterum prosequitur: Quocirca nullo modo cogimur, aut recte præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut recte voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum; sed utrumque fideliter & veraciter confitemur: illud, ut bene credamus; hoc, ut bene vivamus: malè autem vivitur, si de Deo non bene creditur.*

Instas: Peccatum non est prius ad præscientiam Dei: ergo hæc non habet se consequenter ad peccatum. Prob. ant. Præscientia est ab æterno, peccatum in tempore: ergo peccatum non est prius præscientiæ, sed potius præscientia peccato prior. Resp. dist. ant. peccatum non est prius physice ad præscientiam Dei, con. non est prius logicè & objectivè, ne. ant. & conf. Ad prob. dist. ant. quoad secundum membrum: peccatum est in tempore, si consideretur in statu reali physico, con. si spectetur in statu logico & objectivo, nego. Ergo potius præscientia prior est, prioritate temporis reali physica, con. prioritate logica & objectiva, vel prioritate causalitatis, ne. conf. Implicat dari visionem sine objecto: ergo si detur visio Dei æterna, dari debet objectum in aliquo statu æternum, & quodammodo prius visione; rectè enim infertur: *Datur visio: ergo datur objectum.* Et certè, ut ait August. *Qui vidit ab æterno, utique non nihil vidit.* Et ut ait Arist. ipse: *Non enim propterea, quod nos te verè putamus album esse, tu albus es; sed propterea, quod tu albus es, nos, qui dicimus, verum dicimus.* Imò, ut alibi vidimus, in creatis potest aliquid tempore posterius esse naturà prius: respectu Dei tamen Entis primi prioritas naturæ non habet locum, sed tantum prioritas logica & objectiva, uti primū explicavimus.

Urges. Præscientia Dei de actu futuro impediri non potest: ergo necessario ponitur id, quod illa prævidit. Sed redit eadem distinctio: impediri non potest consequenter, con. antecedenter, nego. Poterat voluntas Petri absolute & antecedenter impedire hanc præscientiam, in quantum poterat non ponere peccatum, quod liberrimè posuit; sed tamen ex suppositione, quod peccatum ponat, sicuti non potest peccatum non ponere, ita non potest impedire, ne fuerit præscientia Dei de ipso peccato. Et sanè mirum est, dari multos salutis suæ incurios ex falsa hac persuasionem, quod Dei prævisio libertatem tollat, ita ratiocinando: *Quidquid prævidet Deus, sit necessario: ergo quidquid agam, salvabor, aut damnabor, prout prævidet Deus.* Cum tamen in aliis temporalibus omnem conatum adhibeant, ut ad honores evehantur, ad dignitates, lucra,

lucra, fortunas perveniant: quasi verò non in his etiam daretur Dei prævifio: ergo si hæc inferat necessitatem, ad quid sunt isti conatus? Certè astutior est diabolus, quàm ut propterea desistat à fruendis homini insidiis.

2. Qui liberè agit, debet posse agere & non agere; si propositio est determinatè vera aut falsa, Petrus non potest peccare & non peccare. Resp. dist. maj. debet posse agere & non agere simultate potentiæ, con. potentiâ simultatis, vel simultate actûs, ne. maj. Petrus non potest peccare & non peccare, potentiâ simultatis, con. simultate potentiæ, ne. mi. & conf. Simultas potentiæ in eo consistit, quòd Petrus habeat potentiam ad utrumlibet seorsum, quæ potentia semper manet inviolata Petro, etiamsi unum præ altero liberè eligat, cum ita eligat, ut potuisset non eligere: potentia simultatis esset, si Petrus haberet potentiam ad ponendum utrumque simul, quæ nunquam in Petro datur, nec ad libertatem requiritur.

3. Vel Deus videt futura contingentia in suo decreto, vel illa videre non potest; nec enim illa videre potest in sua causa, cum hæc supponatur indifferens & libera: non in seipsis, quia nondum habent esse: ergo. Resp. ne. maj. ad prob. dico, Deum illa videre in seipsis, cum determinatam habeant veritatem, ut probatum est; & licet non habeant esse physicum, habent tamen esse objectivum. Atque ita docet S. Thom. 1. p. q. 14. a. 6. *Deus cognoscit res non solum in seipso, sed etiam in propria ipsarum natura.* Et art. 13. *Deus cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in seipso.* Et q. 86. a. 4. *Futura dupliciter cognosci possunt, uno modo in seipsis, alio modo in suis causis: in seipsis quidem futura cognosci non possunt, nisi à Deo.* Et q. 12. de Verit. a. 14. *Præscientia autem Dei secundum hoc propriè præscientiæ nomen habet, quod eventum respicit, qui futurus est.*

At dices: saltem contingentia conditionatè futura in seipsis cognosci non possunt, quia nec in tempore, nec in æternitate ullum habent esse, nec ullam determinationem. Resp. etiam pura possibilia nunquam habent esse physicum: imò impossibilia nec possunt illud habere; & tamen cognosci possunt, cum cognoscibilitatem habeant supertranscendentalem. Igitur contingens conditionatè futurum, si propositio sumatur ampliativè, habet esse & determinationem, quia nimirum purificata conditione futurum illud esset, & determinatè esset, & potius esset, quàm non esset: igitur verum est, & scibile; & quamvis non sit physicè; est tamen objectivè, repræsentativè, & logicè, sive in esse intelligibilis, adeoque ab intellectu summo, & omniscio nunc defacto, & ab æterno scitur.

Ex his colliges verificativum propositionum de futuro contingenti, nec esse decretum Dei, quo decernit futurum effectum, ut perperam putarunt aliqui; nec præsentem Dei scientiam, quæ præcognoscit memoratum effectum, ut opinantur alii: sed esse statum objecti: per hoc enim, quòd res affirmata per copulam est, vel non est, propositio formaliter vera aut falsa est, quia conformis, vel objecto suo difformis: sed non fit conformis formaliter objecto suo, nisi per statum objecti, ut patet in propositionibus de præsentem & præterito; & eadem est ratio pro propositionibus de futuro: hæc enim propositio, *Petrus fuit, est; vel erit peccator*, formaliter vera est per positionem peccati in Petro, pro tempore per copulam importato, non autem per decretum Dei, aut ejus scientiam: hæc enim ad peccatum consequitur; illud autem, si daretur, antecederet, & se haberet causaliter, non autem formaliter in ratione verificativi:

ergo

ergo verificativum formale est status objecti. Dixi, si daretur, quia, ut vidimus, in actibus liberis præsertim malis, nullum datur decretum prædeterminans, ex quo infallibiliter sequatur actus.

§. VII.

An Deus determinet ad individuum effectus?

Causa creata necessaria, proximè ad agendum expedita, secundùm communem & veram Philosophorum sententiam, ex natura sua & circumstantiis, actum primum constituentibus, determinata est ad effectus speciem. Sic ignis ex natura sua determinatus est ad producendum potius ignem, quàm aquam; & oculus in præsentia talis objecti & luminis determinatus est ad producendam potius hanc specie visionem, quàm aliam. Causæ item liberæ se ipsas determinant ad speciem, & non à Deo prædeterminantur, ut dictum est; ita homo liberè se determinat ad amorem potius quàm ad odium; ad actum honestum, quàm inhonestum. Major est dubitatio circa causam determinantem ad individuum; quoniam enim in effectibus producendis infiniti sunt possibiles invicem solo numero distincti, per quorum singulos videtur satisfieri posse exigentiæ activæ principii creati, hic & nunc proximè & ultimò determinati ad speciem effectus, dubitatur, unde ratio repetenda sit, cur ex tot simillimis effectibus, unus potius producat, quàm alter, v. g. cur hic numero amor potius producat, quàm alius ei simillimus?

Qua in re verisimilior videtur illorum opinio, qui dicunt, causam primam determinare ad individuum: idque probant 1. negativè, quia non ostenditur necessitas aut fundamentum tam variarum & innumerabilium exigentiarum, & incredibilem respectum, quos affingunt singulis individuis, quatenus ista non possent procedere, nisi ab hac causa, & quidem tali ordine, loco, tempore &c. Unde enim columba potius hanc producit columbam, quàm aliam, aut hanc primo loco, & illam secundo, vel hic potius, quàm alibi? Qua in re distinguendum videtur inter id, quod jam existit, & quod de novo producit: quòd enim alia sit numero materia in America, quàm in Europa, id aliunde determinatum est; quòd autem hæc numero forma, seu anima columbæ potius producenda sit, quàm alia, specie neutiquam diversa, non apparet ulla hujus exigentia: aliàs, quæ habentur ejusdem speciei, ex natura sua differrent inter se, cum exigant ex se potius produci ab his causis, & in istis circumstantiis, quàm ab aliis, & in aliis. Sic etiam in actibus vitalibus, qui omnino producuntur de novo, non apparet ex natura rei, cur hic numero actus amoris potius producat, quàm alius ei simillimus, aut cur potius hodie, quàm crastina die, aut hic quàm alibi.

Unde prob. 2. Electio unius boni præ alio, inter plura bona possibilia omnino æqualia, & æqualiter servientia ad finem agentis, non potest esse actus appetitus innati, & causæ necessariæ, sed est actus causæ liberæ præcognoscentis illa bona, & illa inter se perfectè discernentis; atqui determinatio ad hoc potius individuum præ altero producendum est electio unius boni præ altero inter plura bona omnino æqualia, & æqualiter ad finem agentis servientia,

tia, qualis est propagatio speciei, demonstratio perfectionum, quæ sunt in causis, utilitas totius universi &c. ergo talis determinatio non est actus causæ creatæ necessariæ. Subsumunt: sed neque potest esse actus causæ liberæ creatæ; cum causa creata plura possibilia inter se omnino æqualia non possit discernere, & consequenter nec unum præ alio eligere: ergo est actus causæ liberæ increatæ, talia individua perfecte discernentis. Neque dicas, causam etiam secundam posse discernere & eligere unum individuum præ altero, v. g. hunc potius aureum, quam alium simillimum. Nam distinguendum est inter objecta existentia, & inter effectus producendos & possibiles: inter bona actu existentia eligere possumus, quia unum ab altero discernimus, saltem sub prædicato accidentali v. g. sub ratione existentis hic & non ibi; at inter possibilia simillima discernere non possumus, adeoque nec eligere.

Dices. Eccli. 7. dicitur: *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses.* ergo nulla est indifferentia ex parte effectus, ut ex hac causa potius, quam ex alia oriatur. Ad hunc textum multiplex est responsio. 1. est, quod Græca versio ita legat: *Memento, quod per eos natus sis.* 2. Est Carthusiani dicentis, quod hoc numero corpus, saltem quoad partes primigenias, non haberemus, nisi ab his determinatè parentibus. 3. Intelligi potest citatus Scrip. locus de præsentī decreto Dei, quo existentiam cujusque nostrum his parentibus ita alligavit, ut non nisi per ipsos nati nos voluerit: & hinc speciale Dei beneficium agnoscunt fideles, quod nati sint ex his parentibus, in tali loco, tempore &c. 4. Intelligunt alii de parentibus in suppositione confusa, sic ut sensus sit, nos non fuisse nascituros sine aliquibus parentibus istis, illis, aut aliis.

Dices 2. Natura non deficit in necessariis: ergo neque in paranda via naturali, qua causa determinetur ad individuum: indecorum enim est Philosopho recurrere ad causam primam. Verum quidem est, naturam non deficere in necessariis, prout includit tam naturantem, quam naturatam, non item, prout includit naturam naturatam tantum, ut solent dicere. Summopere necessaria est actio creativa animæ rationalis, & actio conservativa calorum, & aliarumque substantiarum, quamvis actiones istæ non fiant, nisi à sola natura naturante. Unde indecorum est recurrere ad causam primam, si aliqua causa secunda sufficiat determinationi faciendæ, non autem, si nulla sufficiat, & convenienter assignari possit.

Dices 3. Ex Petro Fulienſi: si Deus determinat ad individuum peccati, Deus est Auctor peccati: nam quotiescunque duo concurrunt ad actum moralem, ita ut unus sit determinans, alter determinatus, talis actus moralis potius imputatur determinanti, quam determinato. Hoc distinguitur: si absolute determinet ad individuum, con. si solum conditionatè, & ex hypothesi, quod creatura liberè velit ponere actum huius potius, quam alterius speciei, negatur. Vel sic: si Deus antecedenter determinat ad individuum peccati potius, quam ad omissionem ipsius, con. si determinat tantum consequenter ad hoc individuum potius, quam ad aliud per omnia simile, idque ex officio causæ primæ, negant. Nemo propterea peccat, quod furto furtipiat ex loculis aureum A potius, quam aureum B, sed ideo solum, quod liberè se determinet ad tantum ac tale furtum.



§. VIII.

An detur potentia obedientialis quodlibetica?

Creaturarum activitatem ex natura sua limitatam, & restrictam esse ad certos tantum, sibi que convenientes effectus producendos, per se notum est: utique enim ignis per se non producit aquam, nec ex spinis uvas colligimus, nec musca generat elephantem. Dubium tamen est, an non supernaturaliter isti creatæ activitatis limites effringi aut transcendendi possint, & creaturæ per specialem Dei concursum elevari, ut præter effectus sibi naturaliter debitos, producant alios sibi indebitos v. g. an non ignis elevari possit ad generandam aquam; aqua ad producendam in Baptismo Gratiā sanctificantem &c. Potentia hæc obedientialis duplex est: activa, dum creatura ad huiusmodi effectum efficienter concurret; & passiva, dum concurret sustentativè. Imprimis certum est, non dari potentiam obedientialem in iis, in quibus aperta est repugnantia: sic nulla causa potest producere actiones modales essentialiter dependentes ab alia tantum causa. Quæstio igitur est de illis effectibus, in quibus non reperitur specialis repugnantia.

Dari aliquam potentiam obedientialem, tam activam quàm passivam, docent omnes Catholici. Ratio 1. partis est, quia docemur in Conc. Trid. sess. 6. can. 4. animam rationalem physicè influere in actus supernaturales meritorios: item in visionem beatificam, tanquam in actus vitales; qui tamen actus naturalem animæ potentiam longè excedunt, suntque omnino indebiti viribus cujuscunque naturæ creatæ. Altera pars etiam patet, quia humanitas Christi Domini per potentiam obedientialem passivam sustentat unionem hypostaticam, homo & Angeli recipiunt & sustentant Gratiā sanctificantem, aliosque habitus & actus supernaturales, quos per potentiam obedientialem activam eliciunt &c.

Probabilius etiam dari in rebus creatis potentiam obedientialem quodlibeticam, vi cujus quodlibet elevari possit ad quidlibet, ubi tamen non apparet specialis repugnantia, multi docent post S. Thomam, quibus accedit S. Aug. lib. 3. de Trin. cap. 8. & 9. hanc potentiam vocat *occultum semen Dei*. Deinde de Gen. ad Lit. in illud: *Germinet terra herbam viventem*: docet creaturas esse habiles per causales rationes, non solum ad effectus naturales, sed etiam ad mirabiles, & miraculosos. Et alibi ait, potentiam hanc esse incompletam, fieri tamen completam per applicationem Dei.

Id autem probant 1. quia hæc potentia obedientialis videtur ampliare Omnipotentiam Divinam, pro qua stamus semper, ubi non apparet repugnantia; est enim specialis perfectio artificis posse re quavis, etiam de se valde rudi & imperfecta, uti tanquam instrumento ad producendum quemvis effectum, etiam valde perfectum; sic enim commendatur perfectio & ars scribentis, qui quovis calamo potest artificiosè scribere. 2. Quia pertinet ad perfectionem Dei posse creaturis aliquid dare per favorem, qui ipsis non competit ex natura: ergo pertinet ad perfectionem Dei, posse creaturas elevare ad actiones, quæ ipsis non competunt ex natura. 3. Pertinet ad perfectionem Dei ita dominari in creaturas, ut illis uti possit pro suo placito. Conf. quia

constat ex suprâ dictis, dari in aliquibus potentiam obedientialem, nec est specialis ratio, cur non etiam dari possit in aliis, ubi non apparet repugnantia.

Prob. 2. Defacto videtur Deus elevâsse quasdam causas ad productionem effectûs, cum quo nullam specialem proportionem habent, sed potius contrarietatem. Nam Eliseus injecto sale aquas amaras reddidit dulces. Idem Propheta ligno usus est loco magnetis, illoque in aquas immerso attraxit securim in flumen delapsam. Piscina probatica sanabat quosunque infirmos. Christus ipse salivâ suâ, & luto liniit oculos cæci nati, illique visum restituit. In quibus casibus Doctissimi Interpretes, ut Corn. à Lapide, Salmeron, Tolerus & alii advertunt, sale, lignum, aquam, salivam & lutum verè habuisse rationem medii & instrumenti physici, neque hos effectus miraculosos solum ad illorum præsentiam adæquatè à Deo solo fuisse productos; idque colligunt ex fine, quem Deus patrando talia miracula intendit: voluit nempe Deus manifestare fidelibus magnitudinem suæ virtutis, illisque ingenerare æstimationem suæ potentia, quæ per res prorsus contrarias, & destitutas tali virtute naturali, posset operari tam mirabiles effectus. Hunc autem finem non obtinisset Deus, nisi per errorem & simplicitatem spectantium, qui ex falsa persuasionem credebant, Deum uti rebus applicatis per modum instrumenti, cum tamen ex re ipsa nullum præstarent influxum, essentque penitus otiosæ. Illufisset igitur Christus fidelibus, liniendo lutum super oculos cæci; sicut illudit dæmon hominibus, quando ex pacto ungitur ferrum unguento armario, & interea dæmon curat vulnus occultè applicando activa passivis, unguento armario penitus nihil operante.

At si ita est, creatura in agendo est omnipotens, quia potest producere, quidquid non implicat. Id verò minimè, tum quia creatura non potest producere, quidquid absolute produci potest, cum nec possit producere seipsam, neque actiones proprias aliarum causarum; tum quia ad veram omnipotentiam requiritur, ut ipsa ex perfectione & virtute propria sibi sufficiat, & non debeat, ut creaturæ debent, ab alio perfectiore ad agendum elevari. Sed creatura saltem erit potentia infinite perfectæ, quia ex præstantia effectûs arguitur præstantia causæ. Neque hoc sequitur: ex præstantia effectûs debiti arguitur quidem perfectio causæ principalis & adæquatæ; non item ex perfectione effectûs indebiti arguitur perfectio causæ instrumentalis & inadæquatæ. Eodem modo distingues illud: *Nemo dat, quod non habet*; ad causam etenim instrumentalem & inadæquatam non requiritur adæquata perfectionum, quæ inveniuntur in effectû, præcontinentia.

Dicis iterum; talis potentia universalis esset essentialiter superflua in ordine ad plerosque effectus, cum illos nunquam produceret. Sed negatur, propterea superfluam esse; quæ enim potentia omnes effectus possibiles producit? Talis autem potentia sufficienter & semper est actuata, saltem per aliquem effectum naturaliter sibi debitum: cum enim potentia quodlibetica remota realiter sit identificata cum creatura, & cum potentia ejus naturali; hinc etiam potentia quodlibetica in sensu reali actuatur per quemvis actum creaturæ naturalem. Ipsa quoque elevabilitas formaliter sumpta utilis est, quatenus bona creaturæ, & Deo gloriosa.

Dicis 3. Ex tali potentia obedientiali quodlibetica sequitur, lapidem posse elevari à Deo, ut intelligat; brutum, ut videat Deum; aquam, ut operetur meritoriè &c. quod tamen dici non potest, quia repugnat rem inanimatam

matam vivere, ens materiale cognoscere spirituale, agens non liberum operari meritorie. Sed negatur seq. non enim admittitur potentia quodlibetica, ubi specialis apparet repugnantia, quod, quando fiat, non venit hoc loco examinandum, sed colligi debet ex tota Philosophia, Theologia, aut aliis scientiis. Sic disputant Theologi, utrum oculus corporeus elevari possit ad videndum Deum &c.

Dicis 4. SS. Patres communiter dicunt, miracula esse opera solius Divinitatis: ergo in illis nihil agit creatura. Respondetur, SS. Patres aliud non vel- le ac probare, quam quod Deus opera miranda vel solus; vel ex propria vir- tute & principaliter operetur, atque tantum de suo ad illa conferat, ut in comparatione nihil propè sit, quod ab agentibus creatis ad hujusmodi opera confertur. Sic licet puer aliquis cum gigante ingens pondus attollat, dicitur tamen nihil agere, & totum, quod fit, adscribitur giganti, cujus nempe vi- res nimium quantum superant virtutem talis pueri.

§. IX.

De potentia Dei, & ente possibili.

Quæritur hoc loco, quid sit rerum possibilitas? Imprimis illa non confi- sit in ente diminuto existente ab æterno, & à Deo distincto: uti enim ait S. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 6. *Omne illud, quod à Deo factum non est, aut Deus est, aut nihil.* Scimus autem Deum omnia fecisse in tempore. Igitur possibilitas creaturarum duplex distingui potest; activa una & extrinseca, quæ nil aliud est, quam virtus ipsa potens producere talem rem: & passiva altera, rebus possibilibus intrinseca, quæ consistit in ipsa non repugnantia prædica- torum rei possibili, seu in ipsa essentia rei, non involventis contradictoria; Omnipotentia enim Divinæ respondere debet terminus ab ipsa producibilis, sicut potentia cognoscitivæ respondet terminus cognoscibilis; visivæ, visibi- lis. Unde sicuti sunt aliqua, quæ ab oculo non possunt videri, ut sonus, fri- gus; non quidem ex defectu potentia visivæ, sed ex defectu ipsorum, eò quod ipsa non sint apta videri: sic sunt etiam aliqua, quæ à Deo produci non possunt, non ex defectu potentia Divinæ, sed ex defectu ipsorum, eò quod ipsa non sint apta produci; quia nempe involvunt impossibilitatem, quæ consistit in ipsa terminorum seu prædicatorum repugnantia, quale est trigonum rotun- dum.

Et hæc est doctrina Angelici Doctoris 1. p. q. 25. a. 4. ad 2. dicentis; *Deus, quantum ad perfectionem Divinæ potentia omnia potest; sed quadam non subjacent ejus potentia, quia deficiunt à ratione possibilem.* Atque ex hoc capite rationem dat S. Doctor, cur Deus non possit facere, ut illud, quod est præteritum, non fuerit; cum tamen, antequam id fuerit, facere potuerit, ut esset vel non es- set: & tamen eadem manet omnipotentia, postquam res est præterita, quæ dabatur antea. Sic attenditur, inquit, *immutabilitas omnipotentia Divinæ, quid- quid Deus potuit, potest; aliqua tamen habuerunt olim rationem possibilem, dum erant faciendæ, quæ jam deficiunt à ratione possibilem, dum sunt facta: & sic dicitur Deus ea non posse, quia ea non possunt fieri.*

Advertendum præterea, quædam esse, quæ à Deo solo immediatè produci non possunt, uti sunt intellectiones humanæ, quæ necessariò requirunt concausam creatam, nempe animam rationalem. Hinc Omnipotentia Dei respectu talium creaturarum non est possibilitas activa proxima adæquata: potest tamen eadem Dei potentia dici possibilitas activa & extrinseca ipsarum etiam adæquata, sed remota, in quantum nempe est possibilitas activa adæquata illius alterius concausæ creatæ, quæ ad tales effectus creatos præter omnipotentiam Dei requiritur: adeoque Deus in aliquo sensu est possibilitas activa adæquata omnium omnino creaturarum, præscindendo scilicet à proxima & remota; & hæc possibilitas est physicè ab æterno.

Dari præterea possibilitatem creaturarum intrinsecam & passivam, quæ consistat in ipsa terminorum non repugnantia, aperta rursus est doctrina S. Thom. qui cum 1. p. q. 25. a. 3. dixisset, Deum esse omnipotentem, quia potest producere omnia possibilia, quærit, quid sub hac distributione contineatur? dubiūque hoc & difficultatem ingeniosè partim promovens, partim solvens, ait: *Possibile autem dicitur dupliciter secundum Philosophum 5. Metaph. Uno modo per respectum ad aliquam potentiam, sicut quod subditur humanæ potentie, dicitur possibile homini: non autem potest dici, quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia, quæ sunt possibilia naturæ creatæ, quia Divina potentia in plura extenditur. Si autem dicatur, quod Deus sit omnipotens, quia potest omnia, quæ sunt possibilia suæ potentie, erit circulatio in manifestatione omnipotentie; hoc enim non erit aliud, quam dicere, quod Deus est omnipotens, quia potest omnia, quæ potest. Consequitur ergo, quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolute, quod est alter modus dicendi possibile: dicitur enim aliquid possibile vel impossibile absolute ex habitudine terminorum; possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subiecto, ut Sortem sedere; impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subiecto.*

Et hæc possibilitas intrinseca est formalis possibilitas rerum, competens Deo & creaturis, hac differentia, quod in Deo detur ab æterno physicè; in creaturis verò logicè tantum, priusquam producantur. Possibilitas autem rerum extrinseca, quæ dici potest causalis, non datur respectu Dei, Entis à se necessarii; sed datur in Deo respectu creaturarum producibilium, quæ an tales sint, id examinamus in possibilitate intrinseca, considerando, an prædicata illarum constitutiva sibi repugnent, aut non repugnent.

Atque ex his colliges, in quo consistat impossibilitas rerum: nempe illud dicitur impossibile, quod, si existeret, involveret contradictoria, atque adeò nec produci potest, nec physicè existere. Igitur impossibilitas consistit, tum in repugnantia prædicatorum, tum in negatione causæ potentis producere tale aliquid, quod dicitur impossibile, uti est trigonum rotundum.

Colligere etiam poteris, qua ratione Deus per relationem transcendentalem respiciat omnes creaturas possibiles; est enim essentialiter cognoscibilitas ad illas, cum sit essentialiter omnipotentia, quæ per se est essentialiter cognoscibilitas ad aliud, cum repugnet eam formaliter cognosci, & non cognosci relatè ad terminos, quos illa potest producere.



S. X.

De Entis essentia & existentia.

ENS est illud, cui non repugnat existere, seu quod realiter est possibile, si-
ve deinde actu existat, siue non. Et hic conceptus entis præscindit à
suis differentiis; neque enim formaliter exprimit, an id, cui non repu-
gnat existere, sit Ens à se vel ab alio, per se vel in alio. Proprietates entis sunt
unum, verum, bonum. Unum, quia indivisibile in plura ejusdem rationis;
verum: quia cognoscibile: bonum, quia perfectionem habet entitativam.
Quod hic potissimum in controversiam vocatur, est, utrum essentia rei distin-
guatur ab ejusdem existentia.

Essentia alicujus rei est ipsum esse rei, seu conceptus objectivus, qui per
definitionem formalem immediatè attingitur. Sic essentia hominis est ipsum
esse hominis, id est, animal rationale. Jam verò essentia rei, si est actuata,
atque extra causas posita, denominatur existens, si verò nondum est actuata,
purè possibilis appellatur. Quare dicendum est, existentiam rei non distin-
gui ab ejus essentia: res enim formaliter ponitur extra suas causas per ipsam
suam entitatem, per quam formaliter tollitur negatio rei. Et certè ipsi Thomi-
stæ debent concedere, quòd essentia existentia, non distinguatur ab ejusdem
existentia, nisi velint procedere in infinitum.

Neque dicas, essentias rerum esse necessarias & æternas, existentias verò
contingentes & temporaneas. Ad hoc enim respondetur, tam essentiam rei
actualement, quàm illius existentiam esse quid contingens & temporaneum, ita
ut possit dari, vel non dari: Logicè autem & conditionatè, & in statu possi-
bilitatis, utraque est æqualiter necessaria & æterna; uti enim necessarium est
ab æterno, ut quotiescunque dabitur essentia hominis, ei conveniant hæc aut
illa prædicata, v. g. ut semper sit animal rationale, risibile: ita pariter neces-
sarium est, ut quotiescunque dabitur existentia hominis, hæc etiam realiter sit
animal rationale, risibile. Et universè, quidquid dici potest de essentia rea-
li & actuali hominis, id ipsum etiam dici potest de existentia reali & actuali e-
jusdem: & quidquid dici potest de essentia possibili, dici etiam potest de exi-
stentia possibili.

Dices, solus Deus est, qui est, juxta illud Exod. 14. *Ego sum, qui sum*: er-
go solus Deus existit per existentiam sibi identificatam. Conf. Existentia a-
ctualis est beneficium, pro quo tenemur Deo gratias agere, non verò essen-
tia; quia nemo est obligatus, ut Deo gratias agat, quòd illum creare potue-
rit, seu quòd fuerit ipse possibilis: ergo inter se distinguuntur. Resp. ne. conf.
quia quando Deus dicit, *Ego sum, qui sum*, tantum vult significare, quòd ex
vi naturæ suæ habeat actu existere, absque alterius efficientia, quod nulli
creaturæ convenit, licèt illius existentia identificetur cum essentia; semper e-
nim existit contingenter, neque ex vi suæ naturæ, sed ex alterius efficientia.
Igitur essentia Dei necessariò semper est actuata, adeoque simpliciter quidem,
& realiter possibilis, nunquam tamen purè possibilis, ut essentia creaturæ, v.
g. Petri, qui erat purè possibilis, antequam esset physicè existens. Interim
tamen nec realiter, nec præcisivè possibilis unquam fuit, quin existeret phy-
sicè vel logicè; eo enim modo datur semper possibilitas Petri, quo datur ejus
essentia & existentia.

Ad Conf. dist. alterum membrum ant. Essentia purè possibilis non est beneficium Dei, con. essentia actuata, & posita extra suas causas non est beneficium Dei, pro quo teneamur ipsi grates referre, ne. ant. ergo essentia purè possibilis distinguitur ab existentia actuali, con. essentia actuata distinguitur ab existentia actuali, ne. conf. Essentia simpliciter aut præcisivè possibilis nihil dicit, uti explicatum est, quàm prædicatorum non repugnantiam: essentia autem purè possibilis involvit præterea negationem existentiae Physicæ: hanc negationem tollit Deus, dum nobis tribuit existentiam actualem, & pro hoc beneficio immortales ipsi debemus gratias.

§. XI.

De Entis Negatione.

Quæritur quid sint negationes rerum? Resp. formalem negationem alicujus rei, esse ipsum non esse talis rei, & purum nihil. Sententiam hanc præter complures alios tenuit S. August. eandemque eleganter proposuit in libro de beata vita, sic inter alia loquens: *Nescio, quando dicamus, habet egestatem, aut habet stultitiam: tale est enim, ac si locum aliquem, qui lumine careat, dicamus habere tenebras, quod nihil aliud est, quàm lumen non habere; non enim quasi tenebræ veniunt aut recedunt, sed carere lumine, hoc ipsum jam est, tenebrarum esse, ut carere veste, hoc est esse nudum: non enim veste accedente, veluti res aliqua mobilis nuditas fugit. Sic ergo dicimus, aliquem habere egestatem, quasi dicamus habere nuditatem, egestas enim verbum est non habendi: quàmobrem, ut, quod volo, explicem, sicut possum, ita dicitur habet egestatem, habet non habere. Similia habet de Gen. c. 4. contra Manichæos: Tenebræ, inquit, Non sunt aliquid, sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Et post pauca: Sicut autem silentium nihil est, sic & tenebræ nihil sunt. Ita S. Doctor, cujus verbis non opus est aliud addere, cum rem totam dilucidè satis declarent.*

Dices tamen 1. Posita nolitione Divina, non datur alter mundus: ergo nolitio Divina est negatio alterius mundi. 2. Negatio alterius mundi est cognoscibilis; sed cognoscibilitas est proprietas entis positivi: ergo negatio est ens positivum. 3. Datur inter negationes realis differentia & distinctio; nam alia est negatio scientiæ, alia virtutis: ergo sunt aliquid reale. 4. Negatio aliqua potest esse bona: ergo est aliquid positivum. Consequentia patet, quia bonitas est proprietas entis positivi. Antec. probatur ex illo Salvatoris de Juda proditore: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Matth. 26. Et confirmatur ex eo, quod damnati optaturi sint annihilationem sui.

Resp. ad 1. dist. conf. Nolitio Divina est negatio alterius mundi, causalis, con. formalis, ne. conf. Quia sicut volitio Divina non est formalis, sed causalis tantum existentia rei creatæ: ita nolitio Divina non est formalis, sed causalis tantum non existentia, seu negatio rei. Ad 2. negant aliqui maj. asserentes, nos, quando concipere dicimur negationes, aliud non concipere, quàm mera entia positiva, modo tamen tendendi speciali, & quasi per renutum, illa scilicet negando, non affirmando. Alii negant mi. quia cognoscibilitas est terminus supertranscendentalis, conveniens non tantum enti positivo, sed etiam nihilo, & chimæris. Ex his alterutra responsio admitti debet, cum talia

lia per affirmationem vel negationem attingantur, quomodocunque demum cognoscantur, quod cujusque relinquitur experientia. Ad 3. dist. ant. negationes sunt diversae & distinctae ratione puri non esse, quod important in recto, ne. ratione terminorum positivorum, quos excludunt, & important in obliquo, om. ant. & ne. conf. Dicendum propriè loquendo, non dari differentiam inter negationes, imò propriè non dari quidem plures negationes, sed tantum non dari plures res. Cum ergo dicitur, negationem tolli, vel poni, vel existere, id non intelligendum est de existentia reali physica, sed de alia objectiva logica qualitercunque intelligibili.

Ad 4. dist. ant. Negatio potest esse bona positivè, ne. negativè seu minus mala, con. ant. & ne. conf. Quando dicitur, quod negatio Judae melior fuisset, quam ipsius existentia cum peccato & damnatione juncta, tantum dicitur futura fuisse melior in hoc sensu, quod esset minus malum, quam Judae peccatum & damnatio aeterna. Ubi nota ulterius, malum dici posse dupliciter: primò, magisque propriè, quatenus est defectus, seu privatio perfectionis debitæ, sive perfectio, quæ deficit, naturalis sit, sive artificialis, aut moralis, ut inferius dicitur; hinc diversa malorum genera: sic carere manu, malum est naturale; majus malum carere manu & pede; eoque majus, quò major est defectus, & plus perfectionis debitæ excluditur: & adhuc majus, si perfectio deficiens sit in superiori genere; hinc malum morale majus est, quam naturale & artificiale. Alio modo dicitur malum, quatenus alicui inconveniens & molestum: etsi enim ens quodlibet positivum bonum sit bonitate transcendentali, dum habet sua prædicata essentialia; non illico tamen propterea bonum est bonitate respectiva: sic ignis infernalis, etsi bonitatem habeat transcendentalem; malum tamen dicitur respectu damnatorum, qui illo torquentur, quia illis summè molestus. Quare damnati annihilationem præoptant, quia annihilari ipsis minus malum esset, quam sit poena sensus & damni perpetua.

§. XII.

De Subsistentia.

Quæstionem hanc primùm docti sumus ex mysterio Incarnationis, unde altum apud Philosophos Gentiles silentium, solèturque materia hæc potissimùm tractari in Theologia: ex principiis enim fidei scimus, Verbum Divinum assumpsisse naturam humanam, non autem Personam: item in Christo duas dari naturas, & unam tantum Personam; e contra in Deo dari tres Personas, & unam tantum naturam. Quare natura & persona non sunt idem, quod quia non observârunt Nestorius & Eutyches, ex eodem falso principio, non quidem eundem errorem, sed oppositum deduxerunt. Ex eo enim, quòd existimarent naturam & personam esse idem, subintulit Nestorius: sed in Christo dantur duæ naturæ completæ & integræ, Divina scilicet & humana: ergo in Christo dantur duæ Personæ, Divina nimirum & humana, ac proinde Persona Filii Dei non est Persona Filii Virginis, neque B. Virgo dici potest *Theotocoon* seu Mater Dei, sed puri hominis. E contra Eutyches ex eodem falso principio sic subsumpsit: sed in Christo datur una tantum Persona, uti ex Script. constat: ergo datur una tantum natura; unde in Christo non reperiuntur natura

tura

tura Divina & humana. Inter hos errores secura incedit Catholica Fides medium tenens & docens, aliquam esse distinctionem inter Personam & naturam, propter quam in Deo dantur tres Personæ, & una tantum natura; atque in Christo dantur è converso duæ naturæ, & una tantum Persona. Quæstionem hanc valde Theologicam, manendo intra philosophicos limites, paucis absolvemus.

Imprimis notanda est quorundam terminorum significatio, scilicet *Essentiæ*, *Naturæ*, *substantiæ*, *subsistentiæ*, *suppositivitatæ*, *Personalitatis*, *Hypostasis*, *suppositi*, *Personæ*, *subsistentis*.

Per *Essentiam* intelligitur id, quod primum & definitivum conceptum aliqujus rei designat: sic essentia hominis dicitur esse animal rationale. Per *Naturam* significatur hic eadem essentia, prout dicit ordinem ad operationes, estque prima radix illarum: sic natura hominis dicitur esse principium sensationum & intellectionum. Per *Substantiam* intelligimus Ens per se, accipiendo hos terminos in sensu alibi explicato. Per *subsistentiam* intelligitur ultimus terminus, & complementum naturæ, quæcunque illa sit, sive intellectiva sive non intellectiva, completa vel incompleta. Per *Suppositivitatē* intelligitur subsistentia terminans naturam completam qualemque sive intellectivam sive non intellectivam. Per *Personalitatem* intelligitur subsistentia terminans naturam completam intellectualem, puta humanam, Angelicam, Divinam. Per *Hypostasin* Latini quidem significant idem ac personalitatem; Ex Græcis verò multi significabant naturam; unde volebant admittere in Deo tres hypostases, quatenus negabant tres in Deo naturas: tres autem agnoscunt hypostases cum aliis Græcis Latinis; utrique tunc bene, supposita acceptione diversâ ejusdem termini; quanquam nunc Græci illi malè loquerentur contra significationem Ecclesiæ usu receptam. Per *Suppositum* intelligitur quævis natura completa, & per substantiam terminata, sive intellectiva sit, sive non. Unde non tantum homo, sed etiam bruta, plantæ, ac reliqua corpora etiam inanimata dicuntur supposita. Per *Personam* intelligitur natura intellectualis completa, & per substantiam terminata, ut Petrus, Raphaël, Pater æternus. Unde Persona à Boëtio lib. 2. de nat. dicitur esse rationalis naturæ individua substantia, hoc est, singulare per se subsistens primò, habens naturam completam rationalem: hinc canis non dicitur persona, quia non est natura intellectualis. *Subsistens* dicitur qualibet natura, completa seu incompleta per subsistentiam terminata; hinc non tantum totus homo dicitur subsistens, sed etiam anima rationalis à corpore separata, quamvis tunc non amplius dicatur suppositum aut persona, quia tunc non est natura completa à subsistentia terminata.

Cum ergo ratio subsistentis, suppositi & Personæ superaddat naturæ subsistentiam, seu ultimum quoddam complementum ipsius, & quasi terminum, queritur, quidnam sit hæc subsistentia? Ad quod communior ferè sententia respondet, illam esse entitatem quamdam positivam, quidam dicunt accidentalem, plures substantialem, & quidam absolutam aliqui, alii communiter modalem, naturam ultimo complementem atque perfectientem, ratione cujus natura illa sistat in se, & fiat incommunicabilis alii creaturæ per unionem. Ita P. Gormaz post Doctorem eximium & alios plures. Opposita sententia, quæ Scoto tribuitur, dicit, subsistentiam in creatis supra naturam non addere modum aliquem substantialem, nec quidquam aliud positivum, sed tantum negationem; ac per hoc naturam aliquam in sua specie completam formaliter sub-

subsistere, seu sistere in seipsa, quod non uniatur, intrinsecè alii substantiæ absolutæ. Et quidem quæstio procedit de substantia creata; quod enim in Divinis sit aliquid positivum, facillè conceditur ab omnibus.

Rationes posterioris sententiæ sunt 1. negativa, quia non apparet sufficiens ratio adstruendi positivam entitatem, in qua ratio substantiæ constituatur. 2. Quia persona juxta definitionem Boëtii communiter receptam, est rationalis naturæ individua substantia; individuum autem juxta S. Thomæ descriptionem, etiam communiter receptam, est indivisum in se, & divisum à quovis alio: quod certè per hoc obtinetur, quod alteri substantiæ non uniatur: ergo ratio Personæ, & consequenter ratio substantiæ creatæ aliud naturæ complementum non superaddit, quàm dictam negationem. 3. Quia hac ratione facile explicatur mysterium Incarnationis, quod solum quæstioni huic præbuit occasionem; quod scilicet Verbum Divinum assumpserit solam naturam humanam & non personam, quia scilicet implicat, naturam humanam intrinsecè unitam Verbo habere negationem unionis intrinsecæ cum alia substantia, cum ipsum Verbum, cui natura humana unitur, sit substantia.

Rationes prioris sententiæ 1. Quia Joan. Theologus in Conc. Florent. nomine Latinorum disputans ad dicendum dogma fidei supponit apertè, substantiam esse aliquid positivum, quin tamen vel Summus Pontifex, Latini aut Græci contradixerint, sed potius convenerint omnes, & inde quæstionem controversam deciderint: ergo licet hæc verba Joannis Theologi non sint decisio Concilii & dogma fidei; videntur tamen à Concilio supponi & acceptari, atque esse communem Ecclesiæ doctrinam, cui proinde non facillè contradicendum. 2. Natura & Persona non distinguuntur sicut aliquid & nihil, sed sicut aliud & aliud: ergo substantia non est pura negatio. Prob. ant. Auctoritate Justiniani in Edicto Fidei à Vigilio Papa approbato, ubi dicitur: *Omnes SS. Patres consonanter docent, aliud esse naturam sive substantiam, aliud substantiam sive personam; & naturam quidem hoc, quod est commune, significare; personam vero hoc, quod est speciale.* 3. SS. Patres & Theologi dicunt communiter, substantiam Verbi supplere in humanitate Christi defectum substantiæ propriæ: ergo si substantia creata secundum id, quod superaddit naturæ, consistit in negatione, tunc substantia Verbi supplet defectum negationis, quod tam parùm fieri potest, quàm parùm lux supplere potest defectum tenebrarum: similiæque ex SS. Patribus & Conciliis afferuntur plurima, quæ huic sententiæ favent luculenter. Unde si auctoritatem spectes, hanc sententiam judico probabiliorem: si rationem tantùm, non video, quomodo sat efficaciter probari possit.



G g g

Con-